



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio II. De matrimonio quatenus est Sacramentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Resp.

tionem Abraham cum Agar adulterium, quamvis censetur nondum fuisse lege prohibitum.

Resp. Ambr. i. e. sibi difficili varias responsiones excogitasse ad Abraham excusandum, & aliquas minus solidas, sed tandem in verâ conquiescente: quod scilicet illud coniugium non fuerit peccatum, sed mysterium, ut videri potest cap. citato, quibus verbis aperte declarat Abraham accepisse Agar in uxorem etiam viâ Sarâ ex diuinâ concessione.

Obiectio 2.
ex Aug.

Obicitur 2. quod Aug. varijs locis excuset Abraham, quod non impetu libidinis cognouerit Agar, sed gratiâ prolis, cogente uxore, videri potest lib. 22. contra Faustum cap. 30. & alibi.

Resp.

Resp. id non dixisse, quod existimauerit non intercessisse legitimum coniugium (cû ex dictis constiter, quid hac in re senserit) sed quia agebat contra Manichæos nuptias damnantes, & obijcientes Patriarchis libidinem, ideo tacitâ veritate coniugij cum pluribus vxoribus (quod Manichæis non satisfecisset) solum asserit, quod Abraham non cognouerit Agar ex affectu libidinis, sed posteritatis propagandæ.

Obiectio 3.

Obicitur 3. quod superinductæ vocentur concubinae.

Resp.

Resp. neg. vniuersaliter ita vocari: nam Rachel non vocatur concubina Iacob, neque omnes, quas habuit David, vocantur concubinae, & ita de multis alijs. præterea Deut. 21. dicitur: *si habuerit homo uxores duas, viam dilectam, & alteram odiosam.* 3. in scripturâ, quæ vno loco vocantur concubinae, alio vocantur uxores, ut patet ex Gen. 16. 25. 30. 35. & alibi. unde nihil vetat eas, quæ dictæ sunt concubinae, fuisse veras uxores, quæ tamen prærogatiuis vxoris in administratione familiæ cum marito non gaudebant, neque earum filij communiter admittebantur ad paternam hæreditatem.

Concubina
in scripturâ
aliter sumi-
tur, quam
tam vlu
communi.

Ex his patet nomen concubinae in scripturâ longè aliter sumi, quàm iam communi vlu sumatur. ibi enim sumitur pro vxore quadam secundaria, iam verò sumi solet pro eâ, quæ nullo intercedente matrimoniali vinculo cum aliquo commoratur, & concumbit.

Hactenus ostendimus licuisse diuinâ concessione aliquando vni viri plures uxores simul habere, feminis autem certum est, id nunquam licuisse.

56.

Petitio.

Petit, an diuinâ concessione etiam liceret feminæ plures maritos simul habere.

Resp. affir.
probab.
Salas.
Esius.

Plures negant, eo quod repugnet primario iuri naturæ, & primario fini matrimonij, qui est prolis generatio. sed non videtur improbabile licere, quod indicat Salas de legibus, tract. 14. disp. 5. sect. 8. num. 42. Esius dist. 33. §. 2. versu, *quæritur ergo*, quia, ut dictum est, Deus tanquam supremus Dominus iuris mariti posset efficere, ut is integrum ius corporis sui transferret, quamvis non acquireret vicissim solidum & integrum ius in corpus mulieris, providendo futuris incommodis, nimirum constituendo, ut primus accedens ad uxorem præiudicaret iuri subsequenti, ita ut absque vllâ iniuriâ mulier posset ei debitum negare, quatenus officeret susceptioni prolis, & constituendo vnum patrem familias, penes quem esset administratio domus, hocius alijs subtracto, quem admodum olim aliqua ex vxoribus præerat familiæ, alijs exclusis.

QVÆSTIO II.

De matrimonio quatenus est
Sacramentum

DVBIVM I.

Verum matrimonium sit Sacramentum
verè, & propriè dictum?

NEGANT hæretici nostri temporis, cuius sententiæ non obscure est Durand. in 4. dist. 26. quæst. 3. cum aliquot iurisperitis à se citatis. quamvis enim censetur necessariò asserendum matrimonium esse Sacramentum: asserit tamen non nisi æquiuocè ita vocari, cum non conferat gratiam suscipientibus, & ita non sit signum gratiæ sanctificantis, quod ad rationem veri, & propriè dicti Sacramenti requiritur.

Sed certâ fide tenendum est matrimonium esse verum & propriè dictum Sacramentum gratiam sanctificantem conferens. definitur in Flor. decreto de Sacramentis, ubi reponitur inter Sacramenta propriè dicta nouæ legis, quæ dicuntur continere gratiam, & dignè suscipientibus conferre, & in eodem decreto dicitur: *septimum est Sacramentum matrimonij.* Idem definitur in Trid. sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, ubi definitur septem esse Sacramenta, baptismum &c. & matrimonium, & dicitur anathema neganti aliquod horum septem esse verè, & propriè Sacramentum. quæ Sacramenta can. 6. definiuntur continere gratiam, eamque conferre non ponentibus obicem, quod speciatim etiam definitur sess. 24. can. 1. videri potest doctrina eiusdem sess. ubi id aperte traditur. idem traditur cap. ad abolendam, de hæreticis, ubi matrimonium coniungitur baptismi, & reliquis Ecclesiasticis Sacramentis, & anathematizatur is, qui aliter de deo sentit, quàm Romana sentit Ecclesia, quam constat censere matrimonium esse Sacramentum.

Eadem veritas Probatur. 1. ex Patribus Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 7. *cognoscimus velut præsidentem, custodemque coniugij esse Deum, qui non patitur alienum sibi pollui, & si quis fecerit, peccare eum in Deum, cuius legem violat, gratiam soluat, quam Deum peccat, Sacramenti caelestis amittit consortiū.* ubi docet matrimonium conferre gratiam, & esse Sacramentum caeleste, quod non est dictum de Sacramento in latiori significatione, cû status coniugalitatis etiam in antiquo testamento per peccatum coniugium non amitteret rationem coniunctionis Christi cum Ecclesiâ. August. de bono coniugali cap. 24. *bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causâ generandi est, & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est coniugij repudio intercedente alteri nubere, dum vir eius vivit. ubi notandum quod non dicat in significatione Sacramenti, sed in sanctitate.*

Probatur 2. ex eo quod matrimonium in Ecclesiâ semper fuerit habitum tanquam res sacra, atque adeo statim ab initio Ecclesiæ consueverit celebrari sacris ritibus, ut testatur Euaristus episc. 1. ad Episcopos Africanos, qui docet traditum ab Apostolis, ut sponsa benedicatur à sacerdote cum precibus.

Coroll. 2.

Censuræ.

Coroll. 2.

7.

Censuræ.

Resolutio.

8.

Petrus.

Resp.

Contractus.

matrimo-

Ex quibus patet 1. Concil. Trid. in doctrinā de matrimonio merito ita loqui: *Matrimonium merito inter non 4 legis sacramenta annuerandum sancti Patres nostri, Concilia, & vniuersalis Ecclesie traditio semper docuerunt. & non tantum sectatorum opinio- nem, verum etiam Durandi esse hæreticam, & pro tali habendam fuisse etiam ante Trid. tum quia Flor. aperte definit matrimonium esse Sacramen- tum, & continere gratiam, quam ritē suscipientibus confert, tum etiam, quia ante Flor. vniuersalis Ecclesia semper existimauit esse Sacramentum propriè dictum, vt docet Trid. vnde Sotus dist. 26. quæst. 2. art. 3. conclus. 2. immerito non audeat eam notare, tanquam hæreticam.*

Pater 2. fideles legitime dispositos matrimoniu inuenies gratiam sanctificantem ex opere operato recipere. cum verò hoc Sacramentum per se non sit institutum ad peccatorum remissionem, sitque Sacramentum viuorum, constat vt aliquis gratiam per illud recipiat, per se requirit statum gratiæ, vel saltem, vt quis bonā fide existimet se esse in gratiā, & saltem habeat attritionem de peccatis.

Aduerte ei, qui etiam sibi est conscius peccati mortalis, non esse necessarium premittere confessi- onem, sed sufficere, si conteratur: immò vt peccatum euitet accedendo ad hoc Sacramentum, suffi- cere, si bonā fide putet se contritum.

Præter gratiam habitalem conferuntur etiam suis temporibus varia auxilia actualia conducentia ad finem matrimonij, & ad matrimonij onera sus- tinenda, ad prolem susceptam Christianè educan- dam, ad refranandum libidinis impetum, ad ser- uandam comparti fidem, ad eandem diligendam, ad eius mores etiam difficiles tolerandos &c.

Controuersia est inter authores, quandonam hoc Sacramentum sit institutum. varij censent in- stitutum in initio mundi, quando primi parentes in paradiso fuerunt matrimonio coniuncti.

Verum ex Flor. & Trid. citatis constat institutu- tum in lege Euangelicā; tum quia numeratur inter Sacramenta nouæ legis, tum quia dicitur à Christo institutum, tum quia traditur gratiam conferre, & vt Trid. in doctrinā de hoc Sacramen- to, ex eā parte connubij antiquis præstare.

Confit. nisi Christus primò instituisse matrimo- nium in ratione Sacramenti, non deberet dici à Christo institutum, quod tamen constanter tra- dunt Concilia citata: Christus enim non potest dici instituisse in lege Euangelicā matrimonium in ratione cōtra- ctus, quamuis Matth. 19. & Marci 10. de eo egerit. quia nimirum iam ante Christi aduentum rationem contractus sortiebatur. 2. si matrimonium fuerit ab initio in ratione Sacra- menti institutum, & gratiam contulerit illud in- euntibus, etiam nunc esset Sacramentum apud gentiles, apud quos potest iniri legitimum matrimo- nium, & reipsa interdum iniri. dici autem ne- quit apud eos esse Sacramentum. Et hæc sententia ita est certa, vt perique censcant priorem non esse tutam.

Petrus, vbi Christus matrimonium euexerit ad rationem Sacramenti?

Resp. vel Matth. 19. quando reduxit matrimo- nium ad primæuam suam conditionem, reuocans polygamiam, & tollens potestatem dandi libellum repudij, vel certè Ioannis 2. quando benedixit nu- ptijs, easque tum suā præsentia, tum illustri mira- culo decorauit, quod plures Patres videntur mira- nuare.

Quando autem dicimus matrimonium esse Sa-

cramentum, intelligimus de ipso contractu matri- moniali, non verò de vinculo ex eo contractu re- sultante per modum rei permanentis.

Obijciunt hæretici 1. quòd non constet ex scri- pturā matrimonium esse Sacramentum propriè di- ctum.

Resp. etiam hoc concessio nihil posse contra fi- dei veritatem concludi, cum non omnia fidei do- gmata ex solā scripturā certò eliciamus, sed etiam ex traditione, vt alibi contra hæreticos probati so- let. quā ratione Trid. sess. 24. in doctrinā de hoc Sa- cramento, ex traditione docet matrimonium in nouā lege esse Sacramentum propriè dictum.

Obijciunt 2. quòd matrimonium in Ecclesiā in- terdicatur ijs, qui sacris ordinibus sunt initiati, ergo signum est non esse Sacramentum, cum vnum Sacramentum possit cum alio confiteri.

Resp. neg. consequentiam, 1. quia hæc duo Sa- cramenta iuxta Christi institutionem non repu- gnant, cum non veniat ex lege Christi, vt initiatus sacro ordine matrimonium inire nequeat. 2. quam- uis oriretur ex Christi lege, non argueret matri- monium non esse Sacramentum: nam Christus potuisset conuenienter interdicere vsum, seu rece- ptionem Sacramenti, per quod aliquis constituitur in inferiori statu, ijs qui iam in eminentiori essent constituti, & ex suo gradu deputati functionibus excellentioribus, à quibus vñs coniugij animum reuocat, easque impedit.

Ex quo patet Ecclesiam prudenter id consti- tuisse, non quòd matrimonium non sit Sacramen- tum, sed quòd per statum matrimoniale vir obli- getur ad vñm coniugij, & ad varias curas secula- res, quæ animum valde distrahunt à diuino cultu, cui sacerdotes, & alij sacris ordinibus initiati pec- culariter deputantur. idque conformiter exhorta- tioni Apostoli 1. ad Cor. 7. exhortantis coniuges, vt orationis causā interdum à mutuo consortio abstineant; conformiter etiam iis, quæ in antiquo testamento erant constituta, vt scilicet sacerdotes suo ministerio fungentes abstinerent etiam à pro- prijs vxoribus.

Obijciunt 3. repugnare, quòd Catholici dicant coitum esse Sacramentum, & negent in eo adesse Spiritum S.

Resp. copulam carnalem duobus modis posse exerceri. 1. ad exprimendum legitimum consensum maritalem. 2. post huiusmodi cōsensum alijs signis legitime præstitum. priori modo est Sacramētum, & nihil verat, quò minus gratiam ex opere opera- to conferat, ei que ad sit Spiritus S. posteriori verò modo exercita non est Sacramentum, vt iam voce Sacramenti vtimur, nec eius pars, vt constanter as- serunt Catholici contra Gratianum, cuius senten- tia est erronea, de qua infra.

Obijciunt 4. quòd matrimonium non habeat annexam promissionem gratiæ ad remissionem mortalium.

Resp. hæreticos non posse probare id ad ratio- nem Sacramenti requiri.

Obijciunt 5. non satis conuenire inter Catholi- cos de materiā, & formā huius Sacramenti.

Resp. nihil hinc concludi: quia certitudo vñus non dependet ex certitudine alterius. De fide est Christum pro nobis passum, quamuis incertum quo die mensis, quo ætatis anno passus sit, & ita de multis alijs, & proinde in præsentī quæstione ex incertitudine materiæ non licet colligere ipsū matrimonium non esse Sacramentum.

Dices saltē id videtur Christianis perniciosum.

Resp. 1.

nialis est Sacramen- tum, non itatus.

9. Objectiones hæreticorū. Prima. Resp.

10.

Obiectio 2.

Resp.

11.

Obiectio 3.

Resp.

Quædam Gratiani sententia erronea.

12.

Obiectio 4.

Resp.

13.

Obiectio 5.

Resp.

14.

Resp. 1. id non tangere præsentem quaestio-
nem.

15.

Resp. tamen 2. non esse perniciosum: quia in Ec-
clesiâ satis constat illud esse legitimum matrimo-
nium, & Sacramentum, quod celebratur eo modo,
quo debet, & consuevit in eadem Ecclesiâ. si qui
ita non contrahant, sibi impudent, si forte non reci-
piant Sacramentum.

Obiectio 6.

Obiiciunt 6. quædam apertum mendaciû con-
tinentia, ut quod Catholici appellant matrimonium
immunditiam, pollutionem, carnales fordes; cum
nunquam ita absolute loquantur, satisque constet,
quantâ in veneratione tum Patres, tum Doctores,
& Ecclesiæ Pastores hoc Sacramentum habeant, si
qui interdum videatur ita loqui, solum voluit iuxta
scopum sibi propositum docere in usu matrimonij
inueniri quandam corporis immunditiam (non
tamen necessario mentis, quæ sit peccatum) &
huiusmodi actum reuocare hominem à contem-
platione rerum celestium, & obstat, quod minus
aliquis dici possit sanctus corpore, & spiritu, cum
saltem corpus per illum polluitur.

Obiectio 7.

Obiicitur 7. auctoritatem Dur. & Canonista-
rum quos ipse citat. sed dico eorum doctrinam ab
Ecclesiâ esse reprobam in Concilijs. ubi

Durandus
temeritatis
arguitur.

Notandum Durandum nimis incaute Canoni-
stis adhæsisse, quos constat in rebus Theologicis
nonnunquam errare, dum interdum eas ex alienis
principiis tractare volunt.

Obiectio 17.

Prima.
Resp.

Obiicitur præterea 1. quod matrimonium non
efficiat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ.

Resp. non esse necesse ut Sacramenta efficiant
omne id quod significant, ut patet in baptismo, qui
non efficit sepulturam Christi quam significat.
sufficit quod aliquid supernaturale operetur, quod
in præsentem est gratia sanctificans & mutus amor
coniugum, qui per ipsum contractum aliquo mo-
do significatur.

Obiectio 2.

Obiicitur 2. quod essentialia Sacramentorum
constituuntur à Christo, nec Ecclesiâ quidquam
possit circa illa; potest autem plurimum circa es-
sentialia matrimonij, cum possit personas habiles
reddere inhabiles.

Resp.

Resp. propriè, & formaliter Ecclesiâ nihil mu-
tare circa essentialia matrimonij, neque id posse.
non enim potest facere, ut legitimus consensus per-
sonarum legitimarum non sufficiat ad valorem Sa-
cramenti matrimonij, neque eius rationem potest
in alio constituit: quia tamen matrimonium est in
genere contractus, qui solet publicæ potestati sub-
esse, mirum non est, si personæ, quæ vno tempore
matrimonium inire poterat, alio non possint. quia
per decretum Ecclesiæ redduntur illegitimæ, & in-
habiles, vel ad contrahendum absolute, vel saltem
respectu alicuius. Idem proportionè dicendum de
consensu, qui etiam pendet à publicâ potestate, ut
sit, & censeatur legitimus. unde Ecclesiâ suo decreto
potest facere, ut consensus, qui antea censebatur
legitimus, postmodum non censeatur, sed ad hoc, ut
sit legitimus necessariò requirantur certi ritus ab
eâ præscripti, de quo rursus infra. simile quid vide-
mus in Sacramento penitentiae, cuius essentialia
formaliter Ecclesiâ non mutat: quia tamen in eius
ministro requiritur iurisdictio respectu peniten-
tis, quam potest Ecclesiâ subtrahere, potest im-
pedire, ne is, qui antea legitime absoluebat, post-
modum id faciat, & potest in ministro requi-
rere certam conditionem ut iurisditionis sit ca-
pax: sicut requirit Trid. sess. 23. cap. 15. de refor-
matione. idem licet cernere in Sacramentis, quo-

Trident.

rum materia requirit præuiam aliquam benedi-
ctionem.

Obiicitur 3. quod in contractu matrimoniali
ineantur pacta pecuniaria, quod non liceret, si ef-
fet Sacramentum.

Resp. neg. posteriorem partem assumpti. quam-
uis enim nihil possit accipi pro eo, ut sortitur ra-
tionem Sacramenti; nihil tamen vetat aliquid ac-
cipi pro eodem, ut est civilis contractus, ex quo
variae obligationes, & onera subeuntur.

Notandum enim Christum Dominum enehen-
do matrimonium ad esse sacramentale non sulta-
lisse ei rationem convenientem ante huiusmodi
elevationem; per matrimonium autem, ut est con-
tractus civilis, subeuntur varia onera, & interdum
personæ inæquales in formâ, generis splendore, etate
&c. coniunguntur, quæ omnia inter homines pos-
sunt pecuniâ æstimari, & propterea in hoc civili
contractu nihil obstat, quod minus possint adiungi
varia pacta civilia, & pecuniaria.

Confir. ratio Sacramenti non se habet antece-
denter ad rationem contractus, sed consequenter, &
proinde non adimit conditionem, quam contractus
inter homines admittit. quemadmodum ex eo quod
calix sit destinatus sacrificio, non perdit valorem
ratione materiæ, & artis sibi competentem, neque
ager perdit valorem naturalem, eo quod ius patro-
natus in illo fundetur.

D V B I V M I I.

*Vtrum baptizatus matrimonium ex dis-
pensatione contrahens cum non bap-
tizato recipiat Sacramentum?*

D V A sunt de præsentem quaestione senten-
tiae

Prior asserit, Sotus distinct. 26. quæst. 2. art. 3. in
fine.

Posterior negat, Henriq. lib. 11. cap. 2. in fine, Sanchez
lib. 2. de matrimonio disp. 8. num. 2. Rebellius
2. parte de obligationibus iustitiæ lib. 2. q. 5. nu. 7.
Vasquez disp. 2. de matrimonio cap. 4. num. 20. &
cap. 10. num. 113. quæ sententia est verior, quia ra-
tio Sacramenti fundatur in contractu, quæ respicit
vtrumque extremum, seu prout per eum duo sibi
inuicem tradunt dominium corporum in ordine
ad actum coniugalem, ergo si contractus in vtroque
extremo non sit aptus fundare rationem Sacramenti,
in neutro fundabit, & proinde in tali contractu nul-
lo modo inuenitur ratio Sacramenti.

Antecedens probatur, contractus civilis secun-
dum totam suam rationem est electus ad esse sa-
cramentale, & proinde respicit vtrumque extre-
mum, ita ut sit vnum numero Sacramentum in
vtroque extremo.

Consequentia probatur, si rationem Sacramen-
ti in vtroque extremo non possit fundare, ergo non
potest fundare secundum suam conditionem, quæ
electus est ad esse sacramentale, ergo nullo mo-
do fundat, & proinde ratio Sacramenti non in-
uenitur in vno coniugum, nisi etiam inueniatur
in alio.

DVBIVM

DVBIUM III.

Vtrum matrimonium fidelium sortiatur
rationem Sacramenti ante consum-
mationem?

23. **N**EGAT Gratianus 27. quæst. 2. can. *cum so-*
cietas, ex Leone 1. epist. 90. aliàs 91. ad Ru-
sticum, cap. 4. & can. *non est dubium*, eadem quæst.
ex August.

Respond. Auctoris
affirm.

Verum ea sententia est omnino falsa. patet ex
sensu communi Ecclesiæ, & fidelium, qui existi-
mant verum recipi Sacramentum matrimonij, et-
iam antequam coniuges se mutuo carnaliter co-
gnoscant.

Prob. 1. Probatur etiam 1. ex Conc. Florent. decreto de
Sacramentis §. *septimum*, dicente: *septimum est Sa-*
cramentum matrimonij. Causa efficiens matrimonij regu-
lariter est mutui consensus per verba de præfati ex-
pressus. ex quibus verbis constat iuxta mentem
Concilij Sacramentum matrimonij posse inueniri
ante copulam carnalem, cum positis iis, quæ re-
censet, verum matrimonij Sacramentum subsi-
stat.

Prob. 2. Probatur 2. ex Trident. sess. 24. ubi agens de
matrimonij Sacramento, & statuens quid requira-
tur ad hoc, ut matrimonium sit legitimum, & uti-
que Sacramentum, nunquam requirit carnalem
copulam coniugum, ut patet ex cap. 1. de forma-
tione matrimonij, immò satis declarat eam esse
extra rationem Sacramenti, dum post medium ait:
*præterea eadem sancta Synodus hortatur, ut coniuges an-
te benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in
eadem domo non cohabitent, ubi supponit Sacramen-*
tum matrimonij ab eis receptum.

Prob. 3. Probatur 3. ex Ambros. lib. de institutione vir-
ginis cap. 6. dicente: *Non desolatio virginis facit
coniugium, sed pactio coniugalis.*

Prob. 4. Denique probatur 4. ex eo quòd ipse contractus
sit euectus ad esse sacramentale, quem constat
posse consistere ante copulam carnalem.

Ad testimonium Gratiani ex Leone petitem dico
eum mendosè legisse, nam apud Leonem loco
citato ita legitur: *Cum societas nuptiarum ita ab initio
constituta sit, ut præter sexum coniunctionem haberet in
se Christi & Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est eam
mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non
docetur nuptiale fuisse mysterium.* & ita legendum patet
ex scopo Pontificis, qui vult docere filiam datam
viro habenti concubinam non conferri datam con-
iungato: aliud enim esse uxorem, & aliud concubi-
nam, neque propter carnalem copulam aliquam
debere conferri uxorem, nisi cum ea intercesserit
nuptiale mysterium, seu nuptialis contractus. ex
quo patet responsio ad can. *non est dubium*, qui non
est August. sed Leonis, ut patet ex sententiâ citatâ,
& etiam mendosè legitur à Gratiano.

24. Dices, ante copulam carnalem non satis repræ-
sentatur coniunctio Christi, & Ecclesiæ.

Resp. neg. nam quantum ad rationem Sacra-
menti, satis representatur per mutuam corporum
traditionem in ordine ad generationem, ratione
cuius possunt dici duo in carne vnâ, seu in vnum
conuenire ad finem matrimonij, & proinde repræ-
sentare vniorem Christi cum Ecclesiâ per affe-
ctum, quamuis nondum per mysterium incarna-
tionis.

25. **Q**uæritur an copula carnalis sit saltem pars in-

tegralis Sacramenti matrimonij: ita censent ali-
qui. sed contrarium est omnino verum, scilicet co-
pulam carnalem, quæ exercetur post initum legiti-
mè contractum matrimonij (de hac enim loqui-
mur) non tantum non esse partem essentialem,
sed nec pertinere ad matrimonij integritatem per
modum cuiusdam partis integrantis intrinsecæ.

1. Quia si esset pars integralis Sacramenti, con-
ferret aliquem effectum ex opere operato, sicut sa-
tisfactio pars integralis Sacramenti penitentiae
habet effectum ex opere operato: in præfati au-
tem effectus, qui ex opere operato responderet
copulæ carnali, videretur esse augmentum gratiæ
sanctificantis, cum nullus commodis possit assi-
gnari, quandoquidem matrimonium sit Sacra-
mentum viuorum, quod est per se ordinatum ad
collationem augmenti gratiæ: atqui hoc dici ne-
quit, tum quòd nullus sentiat per copulam carna-
lem etiam primam iustis conferri augmentum
gratiæ sanctificantis ex opere operato, tum quòd
inde sequeretur coniuges se mutuo saltem primâ
vice cognoscentes debere esse in gratiâ, alioquin
de nouo mortaliter peccaturos, utpote ponentes
obicem gratiæ conferendæ ex opere operato per
partem Sacramenti.

2. Constat coniuges omnino liberè sibi mutuo
carnaliter copulari, & posse mutuo consensu per-
petuò abstinere à copulâ carnali, quod non videre-
tur fieri posse, si copula esset pars Sacramenti et-
iam integralis, sicut in penitentia satisfactio non
potest absque peccato pro nudo penitentis arbi-
trio omitti, vel pro solo sacerdotis arbitrio non
iniungi, ut communis docetur in materiâ de pen-
nitentia.

3. Quia neque minister neque suscipiens potest
pro solo suo arbitrio partem etiam integrantem
Sacramenti omittere, & Sacramentum imperfec-
tum relinquere.

4. Si perpendamus quid ad esse sacramentale in
matrimonio sit euectum, aduertemus copulam,
per quam matrimonium antè initum consumma-
tur, nullo modo pertinere ad rationem huius Sa-
cramenti, tanquam aliquid intrinsecum etiam per
modum integrantis: nam constanti Doctorum
sententiâ, & tacito sensu Ecclesiæ Christus ipsum
contractum euexit ad esse sacramentale, ergo quid-
quid pertinet ad rationem Sacramenti etiam per
modum partis integrantis debet in ipso contractû
inueniri, & ad illum pertinere: copula autem, de
quâ agimus, ad contractum non pertinet, sed est
aliquid posterius & extra contractus rationem.

Confr. Christus id euexit ad esse sacramentale,
per quod comparatur ius ad vsum conuenientem
generationi proles & propagationi generis huma-
ni, id autem est aliquid præuium copulæ.

Ex quibus patet copulam carnalem subsequen-
tem contractum non esse perfectionem intrinse-
cam Sacramento matrimonij, quæ etiam deficien-
te matrimonio omnem suam perfectionem in-
trinsecam sortitur, sed esse finem matrimonij sub-
iacentem liberæ coniugatorum voluntati, & esse
perfectionem extrinsecam per modum cuiusdam
effectus, qui legitimè poni potest virtute prioris
contractus, per quem acquiritur potestas ad illum
exercendum.

Resp. negat.

26.

Coroll.

Eccc

DVBIUM

D V B I V M IV.

*Utrum legitimus contractus matrimonialis
inter fideles necessario participet
rationem Sacramenti?*

27.

Sesús qua-
stionis.

QUÆRITVR, an ratio Sacramenti necessario semper inueniatur, quotiescumque personæ baptizate habiles legitime contrahunt: an verò possint aliquando ita contrahere, ut contractus remaneat intra limites contractus legitimi civilis, non participans rationem Sacramenti? Hoc posterius debent censere, qui censent ministrum huius Sacramenti esse sacerdotem, cum ex Trid. sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij constet matrimonia clandestina ante illud Concilium fuisse valida, & iam sint valida iis locis, in quibus Concil. non est receptum. & ita tenet Canus lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. & relectione de Sacramentis in genere parte 1. responsione ad 1. argumentum, Rebellius lib. 2. quaest. 5. num. 3. & sequentibus Vasquez tomo 2. in 3. partem disp. 18. cap. 5. nu. 1. ita etiam tenere debent, qui censent matrimonium per procuratorem esse legitimum, non tamen Sacramentum, de quo infra.

28.

Sententia
Cani,Rebelli,
Vasq. affir.Negant.
Ledesm.Bellarm.
Valent.

Sanchez.

29.

Huic ne-
gatiua ad-
haeret Au-
ctor.
Prob. 1.

Prob. 2.

Secunda sententia negat rationem Sacramenti posse abesse à legitimo contractu matrimonij inter fideles baptizatos initi. ita Petrus Ledesma de matrimonio quaest. 42. artic. 1. in difficultate 7. conclus. 2. qui dicit esse communiter discipulorum S. Tho. videri etiam potest resp. ad 1. & 2. Bellarm. lib. 1. de matrimonio cap. 7. Valentia disput. 10. quaest. 1. puncto 6. §. ex his opinionibus, Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 10. num. 6. eamque indicat Vasquez disput. 2. de matrimonio cap. 4. num. 20. si eius discursus perpendatur: tenet enim matrimonium baptizati cum non baptizato iure diuino esse inualidum, eo quod matrimonium sit Sacramentum, quod non nisi à baptizatis recipi potest: ut autem sit Sacramentum, oportet utrumque esse baptizatum. qui discursus est inefficax, si in ipsis fidelibus ratio contractus civilis possit separari à ratione Sacramenti in matrimonio.

Hæc sententia videtur omnino verior.

Probatur 1. constat Christum Dominum eu- xisse ad rationem Sacramenti contractum civilem matrimonialem baptizatorum, & non apparere, quod reliquerit liberæ contrahentium voluntati, ut contractus eorum eam rationem participaret, vel non participaret, ergo videtur ita instituisse, ut omnis legitimus contractus matrimonialis inter baptizatos esset Sacramentum.

2. Ab initio Ecclesie additi sunt certi quidam ritus sacri in celebratione matrimonij, ut patet ex epist. Euaristi ad Episcopos Africanos, & ex Concil. Carthag. 4. cap. 13. quod non videtur aliunde pronenire, quam ex eo quod matrimonium sit Sacramentum; atqui ex intentione Ecclesie illi ritus sunt adhibendi omni matrimonio, ergo Ecclesia videtur tacite sentire omne matrimonium fidelium esse Sacramentum, consequentia probatur, si ratio contractus civilis separari posset à ratione Sacramenti, id videretur posse fieri liberæ contrahentium voluntate, etiam sine culpâ. unde enim colligi potest, quod teneantur contractum inire etiam in ratione Sacramenti, si hæc possint separari: & unde colligi potest, quod Christus Do-

minus permiserit valide iniri civilem contractum sine receptione Sacramenti, & voluerit nihilominus hanc rationem semper coniungi contractui matrimonij in baptizatis: quod si absque culpâ contrahentes possint velle inire contractum civilem non suscipiendo Sacramentum, vnde tam rigide Ecclesia vult hos ritus adhiberi: certe pro contractu merè civilis Ecclesia non instituit ceremonias sacras.

3. Patres nunquam vel leuiter indicant contractum matrimonij posse separari à ratione Sacramenti inter fideles, sed è contrario videntur absolute pronuntiare illud esse Sacramentum, & nominatim August. de bono coniugali cap. 24. docet in populo Dei bonam nuptiarum esse in sanctitate Sacramenti, quâ loquendi formâ videtur designare omne matrimonium fidelium esse Sacramentum.

Ex quo sequitur nullum esse contractum, & nullum oriri vinculum matrimoniale, si fideles velint inire civilem contractum matrimonij, nolint tamen suscipere Sacramentum. quia dum excludunt posterius, ex consequenti excludunt prius, quod inter Christianos sine posteriori consistere non potest, vel si voluntas sit efficax circa prius, necessario recipiunt Sacramentum.

Obicitur 1. quod minister Sacramenti matrimonij sit sacerdos, sine quo tamen valide iniri potuit matrimonium ante Trident. & modò potest, ubi illud non est receptum.

Resp. de difficultate quæ hæc tangitur dicemus in sequentibus.

Obicitur 2. matrimonium per procuratorem initum est legitimum in ratione civilis contractus, nec tamen participat rationem Sacramenti.

Resp. etiam materiam huius obiectionis in sequentibus tractandam.

Obicitur 3. ut quis Sacramentum conficiat, vel suscipiat, debet habere intentionem saltem confusam faciendi, quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, vel exercendi ceremoniam sacramentalem & religiosam: talis autem intentio potest deesse baptizatis contrahentibus matrimonium, quorum contractus nullo modo videtur posse dici irritus, quod ostenditur, ponamus duos baptizatos, marem, & feminam ab infantiâ inter infideles enutritos, qui nihil vnquam de mysterio fidei nostræ audierint, nihil de Sacramentis Ecclesie, nihil de vllâ religione supernaturali, ij possint velle inter se matrimonium contrahere, & si nullum inter eos intercedat impedimentum, contractus non potest dici irritus: atqui tales non possunt dici intendere etiam confusè facere, quod facit Ecclesia, vel inire matrimonium per modum cuiusdam rei sacre, vel religiosæ, ergo.

Minor probatur nullam habent notitiam etiam confusam illius conditionis, ergo nullo modo dici possunt illam intendere: cum intentio nequeat esse absque aliquâ notitiâ.

Resp. neg. futurum legitimum contractum, si nullo modo habeatur intentio in argumento posita, ad explicationem Resp. concedendo casum, qui in eâ ponitur, & dico ad minorem, etiam in eo sufficientem intentionem suscipiendi Sacramenti inueniri, pro quo

Notandum vnumquemque contrahentem, nisi contrarium sufficienter intendat, solere contrahere iuxta exigentiam suæ conditionis, & hoc confusè intendere, non quidem in actu signato, ut dici solet, sed in actu exercito. cum ergo tales ex sup-

positione

positione sint baptizati, volunt matrimonium confusè contrahere secundum exigentiam matrimonij baptizatorum, quod sufficit, ut censeantur velle matrimonium in ratione ceremonie sacre, & censeantur velle facere, quod facit Ecclesia. ad probationem minoris dico non requiri notitiam illius conditionis, quia non obstante defectu notitiæ conditionis matrimonij fidelium, tales illud contrahunt iuxta exigentiam suæ conditionis.

Contrà: siuum contractum solum apprehendunt tanquam naturalem, & civilem; igitur solum se applicant ad contractum civilem in eundem, non autem ad supernaturalem.

Confr. voluntas non fertur in ea, quæ sunt omnino incognita.

Resp. neg. consequentiam: si enim non excludant expressè ulteriorem conditionem, quamvis non apprehendant, censentur iuxta rationem contractus quem in eunt, contrahere, quia censentur contrahere secundum conditionem, quam possunt tribuere contractui, ad confirmationem Resp. voluntatem non esse ad incognita, ut inde oriatur aliqua obligatio: qui enim contrahit, nullo modo se intendit obligare ad ea, quæ non nouit: si verò ex aliqua conditione actus non oriatur noua obligatio, licet illam conditionem non nouerit, potest censerit illam velle, quatenus censetur velle contrahere iuxta suam conditionem, ex quâ conditione subiecti exurgit in contractu esse sacramentale.

Obiectio 4. Obicitur 4. quod iuxta dicta asserendum esset varios, qui post baptismum susceptum transeunt ad Iudaismum, & contrahunt cum expressâ intentione non contrahendi more Christiano, non inire validum contractum; Rebellius autem quæst. citatâ, num. 6. refert Inquisitores in Lusitaniâ testari varios transeuntes ad Iudaismum solere prius priuatim more Iudaico sua matrimonia celebrare, deinde in facie Ecclesiæ fingere se iuxta illius intentionem contrahere, cum tamen eum animum non habeant, immò ideo prius secretè contrahant, ut expressè testentur se nolle contrahere more Christiano: atqui talium coniugia non censentur irrita, cum hi non possint ad alias nuptias transire.

Resp. ea esse irrita, & si probari possint, contrahentes posse ad secundas nuptias transire: quod si hoc non permittatur, oritur ex eo quod iudices Ecclesiastici, vel Inquisitores in praxi aliam sequantur sententiam, quæ suâ probabilitate non caret. adde nullam vtilitatem posse provenire ex eo quod secundas nuptias permitterentur inire, cum eas simili modo inirent, itaque ex facto ipsorum Iudeorum non videtur sumi efficax argumentum ad probandum in matrimonio baptizatorum rationem contractus civilis separari posse à ratione Sacramenti.

Obiectio 5. Obicitur 5. hæc adiectio, quâ quis vult non recipere Sacramentum, non est contra substantiam matrimonij, ergo illud non irritat.

Resp. non esse contra substantiam matrimonij loquendo in genere, & spectatâ eius naturâ, unde non semper illud irritare: esset tamen contra substantiam contractus prout iuxta institutionem Christi est eleuatus ad esse sacramentale respectu subiecti capax.

Obiectio 6. Obicitur 6. si ratio contractus civilis in matrimonio non posset separari à ratione Sacramenti, sequeretur eum, qui edit signa consensus matrimonialis, nec tamen contrahit, vel quia non vult, vel quia non potest, mortaliter peccare, immò sacri-

legium committere. sequela patet, in aliis Sacramentis est graue peccatum proferre formam Sacramenti, non conficiendo Sacramentum, ergo etiam in præsentî.

Resp. neg. sequelam, ad cuius probationem Resp. non esse mortale vniuersim loquendo proferre verba formæ Sacramenti non conficiendo Sacramentum: si enim aliquis metu graui alium adigat ad proferenda verba formæ baptismi, proferens non peccabit mortaliter, etiam si non conficiatur Sacramentum, nisi alius adigat in contemptum religionis Christianæ, cuius ritus, & formam Sacramentorum velit ludibrio exponere; sepositâ enim illâ circumstantiâ aliquis metu adactus ad illa verba proferenda nec peccat, nec censetur sacrilegus, & in Sacramentum iniurius, cum ergo in matrimonio variis de causis aliquis possit adigi ad proferenda verba, vel edenda signa expressiua consensus, nec tamen ei expediat interius præbere consensum, vel etiam nō possit præbere legitimum, potest sine peccato ad graue malum euitandum proferre verba &c. licet non contrahat, vel Sacramentum conficiat, quod multò facilius in præsentî materiâ potest contingere: nam moraliter loquendo aliquis non facile adiget ad formas aliorum Sacramentorum proferendas, quarum prolatio iuxta communem modum humanæ conuersationis non videtur vtilis ad graue malum vitandum: signa verò consensus matrimonialis expressiua ad hoc sæpe possunt esse vtilia, poterūt ergo sine peccato usurpari materialiter etiam sine intentione vltius consentiendi, vel etiam si sciatur interiorem consensum hic, & nunc non esse legitimum.

Dices, ex his saltem videtur confici esse mortale huiusmodi verba proferre, vel edere signa, si desit iusta ratio, & periculum grauioris mali: cum sit graue sacrilegium uti irritè formis aliorum Sacramentorum extra casum recensitum.

Resp. neg. sequelam, & dico esse discrimen inter formas aliorum Sacramentorum & formam huius Sacramenti, quod alia Sacramenta habeant certam verborum formam iure diuino præscriptam, quæ extra confectionem Sacramentorum communiter in humanâ conuersatione adhiberi non solet, & proinde illâ vti extra Sacramenta continet grauem irreuerentiam erga Sacramentum: signa verò, quæ possunt esse expressiua cōtractus matrimonialis, ex hominum institutione solent ad varios alios fines in humanâ conuersatione adhiberi. v.g. illa verba, accipio te in meam, possunt etiam iuxta hominum consuetudinem adhiberi solum ad declarandam beneuolentiam, item ad facetam recreationem cum aliquâ; vnde, nisi informetur interiori cōsensu, non censentur forma huius Sacramenti, & proinde non potest dici fieri iniuria Sacramento, si hæc verba etiam ad alios fines, vel ioci causâ usurpentur.

DVBIVM V

Virum matrimonium legitime ante baptismum contractum sortiatur rationem Sacramenti, utroque coniuge baptismum suscipiente.

TRES sunt de præsentî quæstione sententiæ.

Prima asserit sortiri rationem Sacramenti per solam susceptionem baptismi, nullo etiam accedente consensu. tenet Palud. dist. 26. quæst. 4. art. 3. respon. ad 5. Sanchez lib. 2. de matrimonio

Ecce 2

disput. 9.

Resp. Non est mortale vniuersim loquendo proferre formam Sacramenti non conficiendo Sacramentum.

38.

Replica.

Resp.

39.

Prima sent.

Palud.

Sanchez.

disput. 9. num. 5. qui plures citat, videturque S. Tho. distinct. 39. quaest. vnica art. 2. ad 1. vbi dicit matrimonium infidelium esse Sacramentum, non actu, quia non contrahunt in fide Ecclesiae, sed habitu.

Secunda.

Ledesma.
Bellarm.

Secunda tenet fieri quidem Sacramentum, si accedat nouus consensus, vel prioris ratificatio, aliàs non. ita Petrus Ledesma de matrimonio qu. 59. artic. 2. dub. 3. Bellarm. lib. 1. de matrimonio cap. 5. in fine, & alij.

Tertia.

Durand.
Vasq.

Tertia negat hoc matrimonium villo modo fieri Sacramentum. Durand. distinct. 26. quaest. 3. Vasquez disp. 2. de matrimonio cap. 10. num. 116. & sequentibus, & multi discipuli S. Thomae, vt refert Ledesma dub. citato, qui censet esse probabilem, quod etiam censet Sanchez disp. citatâ, num. 3. in fine.

40.

Auctor ter-
tiam am-
plectitur.
Improb. 1.
sentent.

Hæc sententia videtur omnino verior. & quidem contra primam sententiam, quæ censet fieri Sacramentum nullo accedente consensu, probatur; Sacramentum matrimonij essentialiter consistit in contractu; contractus verò necessariò requirit consensum contrahentium, vt ex se constat, igitur præcedens matrimonium non potest sortiri rationem Sacramenti per solam baptismi susceptionem, consequentia probatur, ad Sacramentum matrimonij non sufficit contractus quocumque tempore initus, sed requiritur, vt in eatur, quando dicitur confici, & recipi Sacramentum, cum ratio Sacramenti in matrimonio fundetur in ratione contractus, ergo.

41.

Replica re-
solvitur.

Confir. vt ponatur Sacramentum matrimonij requiritur materia, & forma præsens, quæ non possunt dici adesse, quando suscipitur baptismus, si tunc non adsit consensus.

Dices semper inueniri implicitum. Sed id dici nequit: quia huiusmodi consensus implicitus neque potest asseri, quod ex rei naturâ insit baptismi eorum, qui matrimonium inierunt ante baptismum, cum natura baptismi non sit diuersa, quando suscipiens est coniugatus, à naturâ baptismi suscepti à non coniugato. Neque dici potest huiusmodi consensum implicitum inueniri, eò quod ex Christi institutione annexus sit baptismi coniugatorum.

1. Quia huiusmodi institutio ne leuissimè quidem insinuat vel ab Ecclesiâ, vel à Patribus, vel à Doctoribus, & sine villo fundamentò asseritur.

2. Potius contrarium habemus ex communi sensu, ex quo constat Christum euexisse matrimonium ad esse Sacramenti, vtique quando celebratur iuxta exigentiam contractus civilis: quando verò non est consensus per proprium actum contrahentium, qui saltem virtute remaneat, non potest dici celebrari, ergo non est dicendum Christum præter naturalem rerum exigentiam huiusmodi consensum implicitum annexuisse baptismi coniugatorum.

3. Baptismi susceptio non potest dici continere implicitum contractum, & consensum, ex eo quod suscipiatur ex præuâ voluntate matrimonium ratificandi, cum ea nec semper, nec necessariò habeatur ab eis qui etiam coniugati baptismum suscipiunt.

Confir. potest aliquis ethnicus copulatus matrimonio habere difficilem compartem, à quâ, quantum in se est, libentissimè liberaretur; is autem potest ex aliorum relatu intelligere matrimonium infidelium solui posse per baptismum vnus, qui antequam comparis baptizetur, init reipsa aliud

matrimonium, potestque talis baptismum eâ intentione suscipere, & perseverare in voluntate matrimonij dissoluendi aliud inuendo, qui proinde non potest dici habere voluntatem implicitam matrimonium ratificandi; eo autem in tali intentione perseverante potest alter baptismum suscipere, antequam prior reipsa matrimonium cum aliâ inierit, quo casu non potest dici prior habere implicitum consensum, cum habeat diffensum virtuale ex præcedenti actuali non retractato prouenientem.

Confir. potest vterque, vel alter, dum baptizatur, velle aliud matrimonium inire (siue licitè, siue illicitè) quo casu non potest dici, quod habeant implicitum consensum.

Dices, dici posse, cum suscipiant baptismum, qui in talibus subiectis continet implicitum contractum. sed id iam est refutatum, cum nec contineat contractum matrimonij ex suâ naturâ, neque ex Christi institutione.

Præterea implicitus consensus, & contractus vel debet præcedere collationem baptismi, vel debet censeri subsequi, vel certè comitari. si dicatur primum, non potest esse Sacramentum, cum baptismus sit ianua Sacramentorum, qui debet quoad substantiam esse completus antequam subiectum censeatur capax alterius Sacramenti. propter quam rationem nec potest dici Sacramentum, si contractus implicitus solum censeatur se concomitanter habere ad rationem baptismi, ita vt quidem eodem planè tempore compleatur baptismus & consensus legitimus implicitus, tamen sine villo ordine ad se inuicem. restat ergo, vt dicatur, quod huiusmodi consensus censeatur naturâ subsequi baptismum, verum neque ratione talis consensus matrimonij præcedens potest dici fieri Sacramentum per susceptionem baptismi. quod ostenditur, ideo dicitur fieri Sacramentum, quod fortitur firmitatem Sacramenti rati inter baptizatos: verum id non oritur ratione huiusmodi consensus, sed ratione baptismi etiam positi prius naturâ, quam censeatur poni talis implicitus consensus, nam ratione baptismi in illo priore completi oritur, quod matrimonium contractum in infidelitate eam obtineat firmitatem, quam obtinet matrimonium contractum post baptismum, & proinde consensus implicitus eam non præstat efficaciter.

Ex quo patet, quod propter firmitatem talis matrimonij non sit fingendus implicitus consensus, ratione cuius matrimonium, antea contractum fortitur rationem Sacramenti, cum videatur gratis fingi. & quamuis poneretur firmitas vinculi matrimonialis, non peteretur ex eo consensus, sed ex baptismo prius naturâ posito, quam censeretur talis consensus aduenire.

Eadem tertia sententia probatur contra secundam ex ratione secundo loco factâ contra primam, quæ etiam contra secundam bene concludit. nec enim minus valet contra consensum expressum, quam contra ~~omnem~~, qui fingitur implicitus.

Confir. quo casu prior consensus non renouatur, vel ratificatur, iuxta illam sententiam prius matrimonium non fit Sacramentum, & tamen eo casu habet omnem firmitatem, quam concipitur habere per ratificationem prioris matrimonij. posterior pars assumpti est communis, nec potest ab villo Catholico negari, ergo consensus expressus est inefficax, & ita non potest dici consensus, & contractus matrimonialis. pro quo

Notandum

45. Notandum matrimoniale contractum non esse qualemcumque contractum, vel qualemcumque contractus ratificationem, sed esse contractum efficacem, seu per quem efficaciter traditur vni dominium corporis alterius in ordine ad generationem proles: quod facile patet in coniugibus baptizatis, qui non ideo dicuntur inire matrimoniale contractum, quod ex affectu erga se inuicem illum renouent, vel ratificent, quia huiusmodi actus non est efficax, nec efficaciter transfert dominium corporis vnius ad alterum, cum iam ante illud perfecte possideatur, sed, ut patet ex dictis, per consensum, quem secunda lententia requirit, ut precedens matrimonium sortiatur rationem Sacramenti, dominium corporis non traditur efficaciter, cum firmitas vinculi oriatur ex baptismo reipsa suscepto, non autem ex consensu etiam natura baptismum subsequente.

Ex his patet matrimoniale contractum in infidelitate nunquam sortiri rationem Sacramenti, & firmitatem vinculi, quæ post baptismum oritur ex tali contractu, non oriri ex ratione Sacramenti matrimonij, sed ex baptismo, ita, ut vinculum reddatur insolubile, eo quod sit vinculum matrimoniale Christianorum, seu baptizatorum.

Ex quibus inferitur hos coniuges nunquam recipere gratiam sanctificantem matrimonialem ex opere operato, nec etiam recipere auxilia actualia, quæ non dantur ratione vinculi permanentis, sed ratione contractus, qui sit Sacramentum.

Dices, tales coniuges subeunt omnia onera fidelium coniugum, ergo ratio postulat, ut recipient gratiam ad illa subenda, & promde ut aliqui tandem ratione matrimonij eorum reddatur Sacramentum; cum gratia sacramentalis non concedatur sine Sacramento.

Resp. neg. consequentiam, nam si nulla intercessisset dispensatio, ex rei natura etiam matrimonia infidelium eandem firmitatem sortirentur, & haberent eadem onera, nec tamen essent Sacramenta, vel conferrent gratiam sacramentalem; ergo propter illa onera non conceditur eis gratia sacramentalis, nec vnuquam sortiuntur rationem Sacramenti, quam non sortiebantur, dum inirentur.

Confirm. quia posita diuina concessione, quæ in gratiam fidei, & religionis Christianæ matrimonia contracta ante baptismum quibusdam casibus possunt dissolui, per accidens contingit respectu contractus matrimonialis, quod hæc matrimonia reddantur magis insolubilia, quando coniuges baptizantur, scilicet propter mutationem status ipsius subiecti, quod per baptismum sortitur statum Christiani, & coniugium est coniugium Christianorum; atqui propter id quod per accidens se habeat ad priorem contractum, contractus, qui non sortiebatur rationem Sacramenti, cum poneretur, non debet postmodum eam sortiri, ex quo patet maiorem insolubilitatem non oriri ex ratione Sacramenti propriè dicti seu conferentis gratiam sanctificantem, sed ex eo quod in gratiam fidei non concedatur vltior potestas matrimonium soluendi, vnde illud matrimonium sortitur insolubilitatem matrimonij rati inter baptizatos iniri.

Dices matrimonium fidelium est Sacramentum, quia repræsentat coniunctionem Christi cum Ecclesiâ; hæc autem coniunctio etiam repræsen-

tatur per matrimonium eorum, qui contrahentes in infidelitate postmodum baptizantur, ergo &c.

Resp. neg. maiorem præcisè loquendo: quia etiam matrimonia antiquorum eandem coniunctionem repræsentant, nec tamen fuerunt Sacramenta, ratio ergo est quod matrimonium sit à Christo euectum in Sacramentum, & proinde quando subiecta capacia illud inuicem, simul recipiunt Sacramentum, alia non item, licet eorum matrimonium postmodum propter mutationem status eodem modo repræsentet coniunctionem Christi cum Ecclesiâ, quo matrimonium fidelium.

Ex quo patet non esse idem matrimonium esse ratum, & esse Sacramentum.

Dices, matrimonium infidelium non est ratum, & insolubile, eo quod non sit Sacramentum, ut potest colligi ex cap. quanto, de diuortijs; ergo cum accedente baptismo sit ratum, efficitur Sacramentum.

Resp. neg. assumptum: nam Pontifex cap. citato ita ait: *Et si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum, & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij Sacramentum; et i. sum in coniugibus illo durante perduret; quibus verbis non vult matrimonium infidelium non esse ratum, quia non est Sacramentum, sed quia fidei Sacramentum ab eis non est admissum, nec vult matrimonium fidelium ex eo præcisè esse ratum, quia est Sacramentum, sed efficit ratum, ex eo quod sit matrimonium eorum, qui Sacramentum fidei admissum, id est, sunt baptizati, ubi ostendit firmitatem matrimonij peti ex ipso baptismo, per quem initur status Christianorum, quod hæcenus explicuimus.*

Ad S. Tho. Resp. eum non videri fauere primæ, vel etiam secundæ sententiæ; quia verbis relatis non vult matrimonium infidelium per baptismum subsequenter fieri Sacramentum, sed dicit esse Sacramentum habitualiter, quamuis non actualiter; quia scilicet ipse matrimonialis contractus poterat esse Sacramentum, nisi ex parte recipientium obstitisset defectus baptismi.

D V B I U M V I

Quis sit minister huius Sacramenti?

DVPLEX est hac de re sententia.

Prior asserit esse sacerdotem. tenet Guilielmus Parisiensis lib. de Sacramentis, tract. de matrimonio, cap. 9. quæst. 1. pro eadem citatur S. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 78. & in 4. dist. 1. quæst. 1. artic. 3. ad 5. 2. quæst. 100. artic. 2. ad 6. eamque tueretur Cælius lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. 5. ostendit ergo, & alibi; insinuat Estius dist. 16. qui plurimis argumentis eam nititur confirmare, quam sententiam Petrus Ledesma loco citato censet fuisse probabilem ante Trident. quamuis dicat post illud non videri sibi probabilem, censet etiam probabilem Bañnes i. parte quæst. 1. artic. 8. 5. dubitatur circa tertium, versu, secundo sciendum est.

Posterior asserit ipsos contrahentes esse ministros huius Sacramenti. est communis non solum recentiorum, sed etiam antiquorum, qui licet sub terminis à nobis propositis eam non tradant; tradunt tamen reipsa, dum passim materiam, & formam matrimonij assignant ex parte contrahentium, quos dubio sequenti citabimus. quamuis

Resp.

Non est idem matrimonium esse ratum, & esse Sacramentum.

48. Cap. quæto.

49.

D. Thom. non fauet primæ, vel secundæ sententiæ.

50. Prior sent. asserit esse sacerdotem. Guilielm. Parisiens.

Cælius. Estius.

51.

Posterior vult esse ipsos contrahentes.

Est communis etiam antiquorum.

E e e e ;

enim

enim sit maxima sententiarum diuersitas in materiâ, & formâ huius Sacramenti assignandâ; in hoc tamen conueniunt, quod hæc assignent ex parte contrahentium; ex quo manifestè sequitur eos sentire contrahentes esse ministros huius Sacramenti, quod apertè tradit Richar. dist. 26. art. 4. quæst. 2. in resolutione quæstionis, & in responsionibus ad argumenta, Palud. distinct. 5. quæst. 2. artic. 2. in impugnatione circa 3. conclusionem, Ferrar. Ferrariensis in caput citatum 4. contra gentes; & fusiùs tradunt recentiores occasione sententiæ Cani, Sotus distinct. 26. quæst. 2. artic. 3. §. *hanc autem*, Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 42. artic. 1. difficultate 4. conclus. 4. 6. & 7. Bellarm. lib. 1. de matrimonio cap. 7. Valentia disput. 10. quæst. 1. puncto 6. §. *accedit postremò*, Henriquez lib. 11. cap. 2. num. 7. qui id fusiùs explicat; vnde cum alibi videtur indicare priorem sententiam, dicendum non velle parochum esse ministrum matrimonij quoad essentialia, sed eatenus dici ministrum, quod ex officio assit, dum matrimonium solemniter celebratur, Sanchez lib. 2. de matrimonio disput. 6. num. 2. Rebellius lib. 2. quæst. 4. sect. 2. num. 6. Suarez tomo 3. in 3. partem, disp. 16. sect. 1. qui plurimis in locis eiusdem tomi partim eam indicat, partim supponit, Vasquez de matrimonio disp. 3. cap. 4. & passim alij. quæ multitudo authorum in re pertinet ad essentiam Sacramenti est maximi momenti.

Hæc sententia est omnino verior.

Probatur, Christus matrimonium euexit ad esse Sacramenti secundum exigentiam contractus, nec aliud iure diuino requisit ad rationem Sacramenti in baptizatis, quam quod requirit contractus matrimonialis, ut sit, & censeatur legitimus, seu validus; ut autem matrimonialis contractus sit validus, non requiritur alius præter ipsos contrahentes, ergo Christus non requisit alium ad rationem Sacramenti, & proinde contrahentes dici debent ministri huius Sacramenti.

Probatur 2. ex Concil. Florent. decreto de Sacramentis §. *seprimum est*, dicente: *seprimum est Sacramentum matrimonij, quod est signum coniunctionis Christi, & Ecclesie secundum Apostolum. causa efficiens matrimonij regulariter est mutus consensus per verba de presenti expressus*. vnde ita possumus argumentari: matrimonio inter baptizatos inito, cui insunt ea, quæ ponit Concilium, nihil deest ad rationem Sacramenti; atqui insunt sine vilo sacerdotis ministerio per solas actiones contrahentium, ergo etiam sine ministerio sacerdotis nihil deest matrimonio ad rationem Sacramenti, & quod inde sequitur, sacerdos non est huius Sacramenti minister, sed contrahentes, qui id ponunt, ratione cuius exurgit substantia Sacramenti.

Minor probatur, Concilium ita describit causam matrimonij, ut censeat eâ positâ poni matrimonium, alioquin eius doctrina videretur impertinens.

Confir. quia vult instruere Armenos de eo, quo posito legitimus censeatur matrimonium. Maior autem probatur, quia series verborum Concilij id requirit: *Seprimum est Sacramentum matrimonij &c.* & alioquin nullibi tradidisset id in quo inuenitur Sacramentum matrimonij, & quo posito illud Sacramentum censeatur poni, quod tamen intendit, ut patet in omnibus aliis Sacramentis, in quibus tradit ea, quibus positis certum est confici Sacramentum.

Confir. ex eo quod Concilium initio decreti de

Sacramentis, dicat: *Quintò Ecclesiasticorum Sacramentorum veritatem sub hac dirigitur formula, ergo quæ tradit de matrimonio, tradit de matrimonij Sacramento.*

Confir. argumentum, Concilium dicit: *Causa efficiens matrimonij &c. est consensus &c.* ergo quisquis consensum præstat, est causa efficiens matrimonij; eum autem præstant coniuges, non sacerdotes, vnde licet Concilium non expresse contrahentes esse ministros huius Sacramenti, id tamen re ipsa significauit.

Dices, Concilium ait: *Causa efficiens est consensus*, cum tamen secundum sententiam, quam sequimur, debuisset dicere: *forma*, nam consensum non est causa efficiens contractus, ergo ex prædictâ doctrinâ non sufficienter probatur intentum.

Resp. neg. consequentiam, siue velimus Concilium in posteriori parte decreti expresse agere de vinculo matrimoniali, siue de ipso contractu. si enim interpretemur de vinculo, dicendum est agere de vinculo orto ex matrimoniali contractu, qui sit Sacramentum, cum eius seopus, & series id postulet, ex quo habemus causam efficientem vinculi matrimonialis esse consensum expressum &c. scilicet contrahentium, & proinde ipsos contrahentes mediante suo consensu esse causam efficientem vinculi, & quod sequitur ipsius Sacramenti matrimonij, cum non possint esse causa efficiens vinculi orti ex Sacramento, nisi sint causa ipsius Sacramenti. idem sequitur si interpretemur de ipso contractu, ut ex dictis patet, vnde

Notandum, Concilium non ita esse locutum, quod de ministro diuersæ essent sententiæ, sed quod sciret varias esse sententias probabiles de materiâ, & formâ Sacramenti, & proinde noluisse determinare, quid sit materia, quid verò forma: sed docuisse consensum regulariter per verba de presenti expressum esse causam efficientem matrimonij, & proinde matrimonium legitimè iniiri (vique etiam in ratione Sacramenti, de quo ibi agit) per expressionem consensum contrahentium, atque ita ipsos contrahentes esse ministros Sacramenti. Dicit verò, *causa efficiens*, quia quidquid sit de formâ contractus, consensus communi modo loquendi optimè dicitur efficere contractum, ut ergo & traderet, quidnam sufficeret ad legitimè matrimonij contractum, & simul abstinere à determinatione quæstionis, quæ saluâ fide inter Scholasticos agitur de materiâ, & formâ, ita loquitur, ex quo apertè constat ipsum sentire Sacramentum perfici per eos, qui huiusmodi consensum præstant.

Probatur 3. ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij, ex quo constat matrimonium contractum in præsentia parochi, & duorum testium esse legitimum, & validum, atqui in tali matrimonio nõ requiritur sacerdos, tanquam minister, ergo matrimonium, quod iuxta Concilium est legitimum, nõ requirit sacerdotem ministrum; & qui matrimonium iuxta decretum Concilij initum est Sacramentum, igitur iuxta Concilium ad Sacramentum matrimonij non requiritur sacerdos, tanquam minister. Secunda subsumptio probatur, Concilium agit de Sacramento matrimonij, intenditque constituere quid requiratur ad matrimonium, non tantum ut est civilis contractus, sed quid requiratur, adde & sufficiat, ad illud consideratum in ratione Sacramenti.

Confir. vnusquisque baptizatus contrahens iuxta formam à Trident. præscriptam censeatur Sacramentum recipere. Prior verò subsumptio probatur:

Richard.

Palud.

Ferrar.

Sot.

Ledesma.

Bellarm.

Valent.

Henric.

Sanchez.

Rebell.

Suar.

Vasq.

52.

Hæc sent.

præfertur.

Prob. 1.

Prob. 2. ex

Florent.

Confir.

tur: iuxta illud decretum non requiritur vlla parochi actio, vt patet 1. ex verbis, 2. ex scopo Concilij requirerentis praesentiam parochi, & testium, vt de matrimonio contracto possit constare in foro Ecclesiae, & vt euidentur grauissima incommoda, quae sequuntur ex matrimonijs clandestinis, vt patet ex initio capitis citati, ad quod sufficit praesentia parochi, etiam si nullum aliud praestet ministerium. 3. communi iudicio sufficit praesentia parochi muti, vel inuiti assistentis contractui, nullusque potest censere matrimonium contractum in praesentia parochi, & testium non esse legitimum iuxta decretum Trid. quamuis pastor nihil pronuntiet.

Quae omnia possunt confirmari ex varijs responsionibus, & declarationibus Cardinalium in cap. citatum: nam circa illa verba, *Vel alijs utatur verbis*, additur: *Non pertinet ad substantiam matrimonij, vt parochus aliqua verba proferat,ideo valet matrimonium, quamuis verba exprimentia consensum prolata sint tantum a contrahentibus, dummodo parochus sit praesens & intelligat id quod agitur, licet dissentiat, & contradicat.* ex qua, & alia responsione habemus ad substantiam matrimonij etiam Sacramenti (de quo eo capite agit Concilium) non requiri, vt verba proferantur a sacerdote praesente, & assistente matrimonio; immo probatur illa verba, *ego vos coniungo*, non posse dici formam Sacramenti matrimonij, prout res communiter fit, & est consideranda nam cap. citato Concilium ita loquitur: *Vbi parochus viro & muliere interrogatis & eorum mutua consensu intellecto, vel dicat: ego vos in matrimonium coniungo &c.* ergo ante verba sacerdotis matrimonij contractus est perfectus; quandoquidem contrahentes in se inuicem consentientes, & interrogati respondentes: volo illam habere in meam &c. communi modo procedendi non suspēdant suum consensum vsque ad prolationem verborum parochi, sed de praesenti illum exhibeant independentē a quolibet superuenturo; ita vt si praestito tali consensu sacerdos quauis ex causa non proferret illa verba, subsisteret matrimonium, vt patet ex declarationibus Cardinalium, & communi iudicio, igitur verba postmodum prolata non possunt esse forma Sacramenti matrimonij.

Confirm. nihil possunt operari quod antea non inueniatur, cum matrimonium, antequam proferantur, non minus sit insolubile, quam illis prolatis: atqui forma Sacramenti matrimonij debet circa firmitatem aliquid operari, cum Sacramentum matrimonij in se infecē dicat contractum, per quem traditur dominium corporis vnius alteri in ordine ad generationem.

Denique Concilium dicens: *Vel alijs utatur verbis iuxta receptionem vniuersaeque prouinciae ritum*, satis innuit illa verba non pertinere ad substantiam Sacramenti; quia illa loquendi forma indicat non requiri verba quoad sensum aequivalentia, quod tamen necesse esset, si haec continerent formam substantialem Sacramenti matrimonij. adde nullo modo nobis innotescere haec vel similia verba sacerdotis à Christo esse praescripta, tanquam formam substantialem Sacramenti, sed solum esse ritum accidentalem institutum ab Ecclesia.

Nec dictis repugnat, quod lege Ecclesiastica possit constitui, vt certa verba sacerdotis requirantur ad valorem huius Sacramenti, quemadmodum Trid. requirit praesentiam parochi: non enim ideo dicendum erit illa requiri ex diuina institutione. 2. non ideo sacerdos debet dici minister huius Sacramenti, cum data hypothēsi illius verba non

sint futura forma matrimonij, sed solum quaedam conditio necessaria ad hoc, vt consensus contrahentium censeatur legitimus. cum enim contractus subsint potestati reipublicae, illa potest certas condiciones praefigere ex parte materiae, sine quibus non censeatur legitima: potest similiter praefigere ex parte consensus, ad hoc vt censeatur legitime praestitus. quā ratione in quibusdam contractibus requiruntur verba proprie dicta, in quibusdam requiritur scriptura, interdum requiritur, vt haec fiant in praesentia testium ad id euocatorum: quae tamen condiciones proprie non sunt forma contractuum, neque is, qui scribit alienum contractum, vel praesens est, proprie dicendus est contrahere, seu formam contractus ponere, & esse illius causa, sed solum est dicendus ponere conditionem lege posituā necessariam ad hoc vt alij legitime contrahant, & vt eorum consensus sit legitimus ita in nostro casu dicendum esset, non ideo sacerdotem ponere formam Sacramenti, & proinde esse Sacramenti ministrum, sed solum ponere conditionem necessariam, vt forma per contrahentes ponenda censeretur legitima.

Probatur 4. auctores prioris sententiae valde inconstanter loquuntur, & modò docent verba citata esse formam, modò verò benedictionem nuptiarum, & pleraque illorum argumenta hoc posterius intendunt: cum tamen haec inter se valde differant, vt patet ex Ritualibus, & benedictio detur coniugibus perfecto Sacramento matrimonij. unde eorum sententia refelli potest.

Ex dictis sequitur 1. sacerdotem etiam in peccato mortali assistentem matrimonio, quod est Sacramentum, vel benedicientem coniugibus, non committere nouum peccatum mortale, quia non conficit Sacramentum. idque etiam verum est, licet aliqua eius verba ad validitatem Sacramenti matrimonij requirerentur: cum ne quidem eo casu dicendus esset minister Sacramenti, vti iam ostendimus.

Aliqui asserunt eos qui in mortali contrahunt ultra peccatum, quod committunt tanquam indigni suscipientes Sacramentum, etiam ex eo capite peccare, quod in mortali conficiant, sed alij probabilius negant, eo quod non sint ministri consecrati, seu ad id nullam receperint consecrationem.

Sequitur 2. id esse peculiare huic Sacramento, quod duplicem partialem ministrum requirat. quod certè nullum est absurdum, aut paradoxum: si enim non est paradoxum contractum civilem eleuatum esse à Christo ad esse sacramentale, neque est paradoxum eos esse ministros Sacramenti, qui sunt causa efficiens ipsius contractus, sed conuenienter naturae contractus id est asserendum: similiter asserendum est laicos esse ministros huius Sacramenti, item feminam esse partialem ministrum.

Contra resolutionem Obijciunt 1. Flor. decreto de Sacramentis §. *haec omnia Sacramenta, tradit Sacramenta perfici personā ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, igitur & hoc Sacramentum debet habere ministrum, & quidem Ecclesiae.*

Confir. 1. absurdum est ab administratione cuius Sacramenti generaliter excludi Episcopum, vel sacerdotem.

Confir. 2. alioquin in matrimonio non necessario requirerentur verba, quod est contra Florent. supra.

Resp. etiam hic inueniri ministrum, & quidem Resp.

Christi. ad hoc quod dicitur requiri ministrum Ecclesiae

Resp. non requiri ministrum peculiariter ab Ecclesia institutum, & ordinatum, immo, quantum licet colligere, iuxta diuinam institutionem talis esse non potest: quia Sacramentum hoc est contractus, cuius causa efficiens sunt contrahentes. vnde

Dico ad priorem confirmationem Episcopum, & sacerdotem excludi ab administratione huius Sacramenti quoad substantialia, neque id esse absurdum, nec debent in omnibus Sacramentis omnia esse similia, sed singula habent aliquid peculiare, quod vel in necessitate fundatur, propter quam singulare est baptismo, quod possit à quolibet conferri, vel fundatur in natura Sacramenti, ex quo oritur, quod Sacramentum poenitentiae in ministro requirit iurisdictionem, eo quod exerceatur per modum iudicii. cum ergo natura matrimonij consistat in contractu Christi Dominus illud eleuans ad esse Sacramenti conuenienter ipsius conditioni eos instituit ministros Sacramenti, qui sunt causa efficiens contractus, etiam feminam, quae cum non prohibeatur contrahere, non prohibetur Sacramentum, quod in contractu consistit, etiam conficere.

Contra: Sacramenta sunt caeremoniae sacrae, quarum proinde celebratio spectat ad ministros specialiter consecratos, & ordinatos.

Resp. quod dicitur de ministro non esse vniuersaliter verum, propter rationem saepe allatam.

Dices, Florent. supra, indicat ad Sacramentum vnum ministrum sufficere.

Resp. Concilium nolle, per se loquendo, vnam numero personam in omnibus Sacramentis sufficere, sed solum velle tradere requiri ministrum, qui saltem confusè intendat facere, quod per talem ritum in Ecclesia fieri solet, siue ille minister sit vna persona, siue plures, à quo Concilium eo loco abstrahit.

Ad secundam confirmationem principalis argumenti

Resp. verba proprie dicta non requiri ad rationem Sacramenti matrimonij, vt satis patet ex ipso Concilio Florent. §. septimum est Sacramentum. quando ergo requiritur verba non intendit per id semper requiri verba strictè sumpta, sed saltem ea, quae in ratione signi verborum vices suppleant.

Obijciunt. Obijciunt 2. quod iuxta Trid. sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonij sacerdos dicat haec verba: *Ego vos in matrimonium coniungo*, idque tanquam minister Ecclesiae, quae non videntur alia de causa adhiberi, quam vt sint forma Sacramenti.

Resp. per haec, vel similia verba sacerdotem declarare contrahentes legitimè coniunctos, quasi diceret: vos coniunctos declaro, & proinde, illa non continere formam substantialem Sacramenti matrimonij.

Nec obstat, quod in quibusdam Episcopatibus dicatur: ego tanquam Dei minister vos in matrimonium coniungo; quia non idcirco ea verba continent formam substantialem: nam etiam declaratio legitimi matrimonij init in facie Ecclesiae, bene potest fieri à sacerdote, vt ministro Dei, & Ecclesiae.

Obijciunt 3. iuxta nostram sententiam sequitur sacerdotem solum esse ministrum cuiusdam ritus accidentalis, & accessorij ipsius Sacramenti matrimonij, scilicet benedictionis, quod videtur absurdum.

Resp. id non esse absurdum: quamuis enim matrimonium in Ecclesia sit Sacramentum, quia tamen iuxta conditionem contractus celebratur quoad substantialia per ipsos contrahentes, nullamque peculiarem requirit caeremoniam, ad maiorem eius venerationem, & vt tanquam res sacra tractaretur à fidelibus, Ecclesia prudenter quasdam caeremonias instituit, quae per sacerdotem sacrum ministrum adhibentur, & cum hoc argumentum opponatur ratione benedictionis nuptiarum, aperte constat nihil concludere, cum benedictio nuptiarum communiter fiat in sacro post susceptum Sacramentum matrimonij etiam iuxta eorum principia, qui consent formam esse illa verba: *Ego vos coniungo* &c. 2. cum nuptiae secundae non soleant benedici, quas tamen constat esse Sacramentum, si celebrentur iuxta ritum Concilij Trid. Adde Concil. cap. 1. citato hortari, vt coniuges ante benedictionem sacerdotalem in eadem domo non cohabitent, ex qua loquendi forma patet ante huiusmodi benedictionem matrimonium esse contractum etiam iuxta Concilij decretum, & proinde Sacramentum.

Obijciunt 4. quod fideles in statu peccati mortalis clandestinè contrahentes ante Trident. non existimarent se sacrilegos, quod etiam approbat Palud. dist. 5. quaest. 2. art. 2.

Resp. 1. de eo non ita constare.

Resp. 2. forte id prouenisse, quod pastores non satis ingulcerent obligationem status gratiae ad matrimonium contrahendum, ex quo ignorantia inuincibilis multorum ortum habere potuit, quid senserit Palud. constat ex ipsomet loco in argumentis circa tertiam conclusionem, ubi aperte docet sacerdotem benedicentem non esse ministrum huius Sacramenti, sed solum adhibere quiddam sacramentale, ad id quod obijciunt.

Dico Palud. optimè posse intelligi de contrahentibus, vt ministris, quod scilicet non peccent mortaliter tanquam ministri, si hoc Sacramentum in mortali conficiant, quod solum ad eius scopum faciebat, vt patet ex eius discursu.

Obijciunt 5. Concil. Lateranense sub Alexandro 3. cap. 7. & refertur cap. cum in Ecclesia, de simonia, deplorat quod pro benedictionibus nubentium, seu alijs Sacramentis aliquid requiratur, igitur censet benedictionem nuptiarum, quae fit à sacerdote, esse Sacramentum, & Concil. Viennense, & refertur in Clementina, religiosi §. 1. de priuilegijs, ponit in eodem ordine Sacramentum vocationis extremæ, vel Eucharistiae ministrare, & matrimonia solemnizare. 3. in Bulla Martini 5. in fine Concilij Constantiensis solemnizatio matrimonij vocatur Sacramentum.

Resp. ipsa loca consideranti facile patere illa nihil virgere contra communem sententiam: nam cap. cum in Ecclesia, citato ita habetur: *Horribile nimis est quod in quibusdam Ecclesijs locum venalitas perhibetur habere, ita vt pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesijs, ponendis in sedem, siue introducendis presbyteris in Ecclesia, nec non pro sepulturis & exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu alijs Sacramentis aliquid requiratur*, ex quo patet benedictionem non esse magis dicendam Sacramentum in vulgari acceptione Theologorum, seu signum gratiae sanctificantis ex opere operato collatum, quam sepulturam, & exequias mortuorum, cum eadem serie recenscantur: cum ergo certum sit priora non esse Sacramenta proprie dicta, non est, quod dicamus ex eo loco colligi

colligi benedictionem nuptiarum esse Sacramentum propriè dictum. vterius vòd dico per illas voces, *seu alijs Sacramentis*, Concilium nolle determinatè significare Sacramenta in vulgari significatione accepta, sed in genere velle significare quamlibet sacramentum, siue ea sit Sacramentum strictè sumptum, siue non: quia scopus Concilij fuit reprobare exactionem rei temporalis pro exhibitione spiritualium, qualia sunt etiam ea, quæ vocantur sacramentalia, vt chrisimatis benedictio, consecratio templorum, altarium, & calicum &c. In Clementina ita habetur: *Religiosi, qui clericis, aut laicis Sacramentum unctionis extremæ, vel Eucharistia ministrare, matrimonium solemnizare &c. aut qui excommunicatos à canone absolueret &c. presumpserint*, ex quo patet solemnizationem matrimonij non annumerari Sacramento extremæ unctionis, quòd ea sit Sacramentum, sed quòd etiam prohibeatur religiosi, sicut administratio supradictorum Sacramentorum: quemadmodum absolutio ab excommunicatione non ideo dici potest esse Sacramentum, quòd ipsdè annumeretur, & similiter religiosi prohibeatur. In Bullà Martini 5. art. 11. ita habetur: *Vtrum credat, quòd Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, aut solemnizationis matrimonij peccet mortaliter*, quæ verba: aut solemnizationis matrimonij, non coniunguntur cum voce, *Sacramentorum*, sed cum voce, *susceptionem*, hoc sensu: suspectus de hæresi (de quo ibi fit mentio) interrogetur, num credat, quòd contemnens susceptionem Sacramentorum confirmationis, vel extremæ unctionis, vel susceptionem solemnizationis matrimonij peccet mortaliter. quamvis enim benedictio non sit Sacramentum, quia tamen non potest sine gravi peccato contemni (quod tamen aliqui faciebant vel iudicabant fieri posse) ideo alijs annumeratur.

Obiectio 6. Obijciunt 6. Concil. Colonienfè parte 7. cap. 40. agens de matrimonio dicit: *Quod Sacramentum si quis sicut decet acceperit, accedente sacerdotali precatione confert donum spiritus quo vir diligit uxorem amore casto*.

Resp. Concil. nolle precationem sacerdotis esse formam substantialem huius Sacramenti, sed debere adhiberi iuxta ritum Ecclesiæ ad hoc, vt matrimonium sine peccato inear, & proinde coniuges non posse illam voluntariè omittre.

Obijciunt Enchiridion eiusdem Concilij tract. de matrimonio §. *verbum itaque*, sed ibi nihil habet, quo significet verbum, per quod Sacramentum hoc conficitur, debere ab ipso sacerdote proferri: solum enim dicit, non quodcumque verbum sufficere ad Sacramentum, sed requiri illud, quo in Domino copulantur, seu quo censentur auspiciari diuinam. Id tamen videtur indicare eodem tract. §. *de ministro*, vbi censet ministrum huius Sacramenti esse sacerdotem, sed optimè potest intelligi de ministro ritus accidentalis, seu benedictionis, qua ratione etiam potest intelligi pastorale Mechliniense in rubrica de ritibus matrimonij, vbi sacerdotem vocat ministrum huius Sacramenti.

Obijciunt 7. Euaristus Pontifex epist. 1. ad Episcopos Africanos requirit, vt vxor benedicatur à sacerdote, additque alia, subiungens: *Aliiter verò præsumpta non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, vel fornicationes potius, quam coniugia esse non dubitate*.

Resp. 1. ex illis solum vt summum posse confici matrimonium aliter contractum non esse vali-

dum, non verò benedictionem esse formam substantialem Sacramenti.

Resp. 2. hæc à Pontifice dicta per exaggerationem, vt doceat & inculcet matrimonia sine benedictione sacerdotali celebrata esse illegitima, id est, cum peccato, siue ritu Ecclesiastico contracta. Certè talia coniugia esse adulteria nemo potest dicere, qui fateatur esse valida, prout etiam agnoscunt hi, qui censent non esse Sacramenta, & ideo dicendum est, cum ex Concil. Trid. cap. 1. de reformatione matrimonij citato constet matrimonia clandestina ante Trid. contracta fuisse valida, non posse vocari à Pontifice adulteria, quia non sunt Sacramenta, sed ita vocari per exaggerationem, quia illicitè incurrunt.

Obijciunt 8. Innocentius 1. epist. 9. ad Probum docens matrimonium fundari diuinà gratià, quando celebratur.

Resp. Pontificem non ita dicere, sed hoc modo: *Statuimus fide catholicà suffragante illud esse coniugium quod primitus erat gratià diuinà fundatum*. Adde 1. quòd licet ita diceret, vt assumitur, non sequeretur benedictionem esse formam Sacramenti & ad eius valorem requiri: quia quoad substantialem dici potest celebrari etiam sine vllà solemnitate.

Obijciunt 9. Tertullianus libr. 2. ad uxorem, in fine, significat illud matrimonium esse Ecclesiæ Sacramentum, quod Ecclesià conciliat, scilicet per suum ministrum.

Resp. neg. id indicare, solum vult esse felix matrimonium, quod Ecclesià conciliat, id est quod à fidelibus in Ecclesià contrahitur, quod non vult ideo esse Sacramentum, quia celebratur à ministro ab Ecclesià peculiariter deputato, sed quia contrahitur à fidelibus.

Obijciunt 10. Ambr. epist. 70. paulò post principium: *Cum ipsum coniugium velamine sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia?*

Resp. ex eo quòd addat: *velamine*, patere Ambrosio, non loqui de aliquo pertinente ad substantiam Sacramenti matrimonij, oportet ergo sanctificari sacerdotali benedictione, non quòd illa conferat gratiam ex opere operato, sed quòd per illam sacerdos precetur pro coniugibus, vt sanctè in statu coniugali versentur.

Obijciunt 11. S. Tho. locis citatis.

Resp. ex loco citato 2. 2. nihil colligi: non enim vult esse Sacramentum, quod ministraretur à sacerdote, sed solum docet pro matrimonio, in quantum est Ecclesiæ Sacramentum, non posse pecuniā accipi, quod verum est, licet contrahentes sint ministri huius Sacramenti.

Dices ibidem addit: *Et ideo secundum iura prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur*, quibus verbis, si cum antecedentibus conferantur, videtur indicare matrimonium sortiri rationem Sacramenti per benedictionem sacerdotalem.

Resp. quòd S. Thom. non existimauerit sacerdotalem benedictionem esse formam huius Sacramenti, paulò post ex ipsomet ostendimus: ad id quòd obijciunt dico, eum non ideo velle non posse pecuniā accipi pro benedictione nuptiarum, quòd censet per illam conferri Sacramentum matrimonij, sed quòd sit ritus sacer in eo Sacramento ex institutione Ecclesiæ adhiberi solitus, pro quo nihil liceat temporale exigere, vt docet D. Tho. art. citato.

Ad locum ex 4. adductum

Resp.

70.
Ad locum
ex quarto
adductum.

Resp. eum apertè indicare secundam sententiam: cum enim S. Thom. docuisset omnia Sacramenta verbis constare, & in quinto argumento obiecit non esse necesse verba in Sacramento matrimonij inueniri, Respondet matrimonium, secundum quod est in officium naturæ, non habere aliquam formam verborum, sed secundum quod est Sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens habet aliqua verba. vbi quidem videtur requirere verba, propriè dicta ad rationem Sacramenti matrimonij, non tamen prolata à sacerdote, sed ab ipsis contrahentibus, quod patet ex textu, cum dicat illa esse verba exprimentia consensum, quæ utique ab ipsis contrahentibus proferuntur.

Dices addit: *Et iterum benedictiones ab Ecclesiâ institutæ.*

Resp. id à nobis facere, cum enim dicat: *Et iterum, supple, adhiberi solent in Sacramento matrimonij, benedictiones*, satis ostendit eas non esse formam matrimonij, cum accedant matrimonio perfecto. 2. cum dicat illas institutas ab Ecclesiâ, ostendit non esse formam Sacramenti, quæ debet à Christo institui.

Dices S. Thom. ait: *Secundum quod est Sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens*, quibus verbis indicat ministerium huius Sacramenti esse sacerdotem, qui solet vocari minister Ecclesiæ.

Resp. neg. pro quo

Notandum in Sacramento matrimonij duo inueniri prout in Ecclesiâ celebratur: vnum substantiale, sine quo Sacramentum est inualidum, alterum accessorium, quoad prius contrahentes sunt ministri, & in quantum conueniunt non tantum ad civilem contractum inendum, sed ad Sacramentum, possunt dici ministri Ecclesiæ, & matrimonium per baptizatos celebratum potest dici esse Sacramentum, in quantum est in dispensatione ministrorum Ecclesiæ: minister accessorij est sacerdos, ut aliquoties dictum est. ex his potest intelligi S. Thom. in 4. dist. 39. quæst. vnicâ, art. 2. ad 1.

71.

Responsio
ad argumē-
tū ex quar-
to contra
gentes.

Similiter dico id quod ex 4. contra gentes adducitur, non patrocari priori sententiæ: ibi enim agens de matrimonio dicit: *In quantum verò ordinatur ad bonum Ecclesiæ, oportet quod subiacet regimini Ecclesiæ; ea autem, quæ a populo per ministros Ecclesiæ dispensantur, Sacramenta dicuntur: matrimonium igitur, secundum quod consistit in coniunctione maris & femine intendunt prolem ad cultum Dei generare, & educare est Ecclesiæ Sacramentum, unde & quædam benedictio nubentibus per ministros Ecclesiæ adhibetur.* quibus verbis indicat ipsos contrahentes esse ministros huius Sacramenti quoad essentialia, cum dicat Sacramentum matrimonij consistere in eorum coniunctione &c. quæ non aliter fit, quam mutuo eorum consensu, & dicat: *Vnde & quædam benedictio &c.* quibus verbis indicat benedictionem solum esse aliquid accessorium, & pertinens ad solemnitatem accidentalem matrimonij, cum quæ dicat eam solum per ministros Ecclesiæ adhiberi, satis ostendit eos solius ritus accidentalis matrimonij esse ministros. per priora ergo verba: *Ea autem, quæ a populo per ministros Ecclesiæ dispensantur Sacramenta dicuntur*, nihil aliud vult, quam bene colligi contractum matrimoniale esse Sacramentum, tum quia subiacet Ecclesiæ regimini, tum quia Ecclesiâ constituit, ut in eius celebratione ministri Ec-

clesiæ aliquos ritus sacros adhibeant, quod non aliunde provenit, quam ex eâ persuasionem, quæ Ecclesiâ semper existimavit contractum civilem matrimonialem fidelium euentum esse ad esse Sacramenti. videri potest Ferrariensis in cap. citatum s. *aduertendum secundo*, vbi dicit nullum actum ministri Ecclesiæ esse de essentiâ Sacramenti matrimonij, sed tantum actus contrahentium secundum S. Thom. & quod matrimonium dicitur per ministros Ecclesiæ dispensari secundum aliquid accidentale.

Ex quibus patet loca S. Thom. citari solita partim pro nobis facere, partim non patrocinari alteri sententiæ, præter quæ sunt alia, quibus nostram sententiam apertè videtur tradere.

Nam licet ad rationem Sacramenti matrimonij videatur requirere verba propriè dicta; tamen censet ea esse contrahentium, in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 1. expressè docet verba exprimentia consensum esse formam huius Sacramenti, non autem benedictionem sacerdotis, quam censet solum esse sacramentale quoddam, & dist. 28. quæst. vnicâ art. 3. cum quæsiuisset utrū consensu per verba in occulto faciat matrimonium,

Respondet de essentiâ Sacramenti matrimonij tantum esse consensum expressum per verba, cetera autem esse de solemnitate, videri potest in additionibus quæst. 45. art. 1. in corpore & in solutionibus argumentorum.

Ex his omnibus patet argumenta, quæ magno numero congeruntur, non videri vllam probabilitatem priori sententiæ tribuere, ideoque à plebisque notari. Sorus dicit non esse sustentabilem, Rebellius censet esse temerariam, Valquez dicit notâ dignam, Valent. & Bellarm. omnino falsam, & certè si perpendatur doctrina Concil. Florent. parum videtur probabilitatis habere, quamvis Canus, & quidam alij illud à se facere existiment, cenfeo etiam Trident. à nobis citatum eidem planè aduersari.

D V B I V M VII.

Quanam sit materia & forma huius Sacramenti.

V A R I Æ sunt hæc de re sententiæ.

Prima censet consensum contrahentium esse materiam, formam verò esse verba consensu expressiua. tenet Nauarr. cap. 22. num. 20. Valent. disp. 10. quæst. 1. puncto 6. dicens esse communem Canonistarum, ex quibus plures citat Sanchez libr. 2. de matrimonio disp. 5. numer. 2. tenet etiam Rebellius lib. 2. citato quæst. 4. sect. 3. num. 12.

Secunda è contrario asserit verba contrahentium esse materiam, consensum verò formam, ita Maior in 4. dist. 26. quæst. 1.

Verum vtraque hæc sententia videtur omnino improbabilis: cum prior constituat totalem materiam Sacramenti insensibilem, nam consensus, prout distinguitur contra verba, nullo sensu externo potest percipi: secunda verò ponat totalem formam insensibilem, id autem est contra communissimam Doctorum sententiam, qui censent materiam Sacramenti, item & formam physicam esse

esse aliquid sensibile, quod saltem requirit aliquid materiae esse per se sensibile, prout distinguitur à forma.

Secundò.

Præterea utraque sententia condistinguit consensum à signis illius expressiuis, quod tamen in ordine ad humanos contractus fieri non debet, cum hæc sint spectanda per modum vnius, & vnum in genere moris constituent.

Confirm. neque consensus interior, prout distinguitur, à verbis, potest dici signum practicum humanum, nec vicissim ipsa verba, prout distincta ab interiore consensu; sed tum demum, quando sumuntur per modum vnius in genere moris constant vnum signum practicum obligatorium.

Tertia sent.

Tertia sententia censet verba prioris (scilicet ut informati interiori consensu) esse materiam huius Sacramenti, formam verò esse verba posterioris. tenet Richard. dist. 26. art. 4. quest. 2. ad 1. Angelus verbo *matrimonium* 1. num. 2. Vict. num. 246. & alij.

Quarta tenet signa consensus expressiua sibi inuicem esse materiam & formam secundum diuersas considerationes: censet enim esse materiam, prout sunt traditio corporis proprii in ordine ad generationem, formam verò prout significant acceptationem traditionis ab altero facta. tenet Sotus dist. 26. quest. 2. art. 2. responsione ad 1. Bellarm. libr. 1. de matrimonio cap. 6. §. si igitur, Suarez tomo 3. disp. 2. sect. 1. conclus. 3. Sanchez disp. citata numero 6. qui plures citat, Rodriguez tomo 1. summa cap. 215. vel 216. numero 3.

Quinta asserit ipsa corpora contrahentium esse materiam, formam verò esse consensum externis signis expressum. ita Palud. dist. 26. quest. 4. art. 3. ad 2. Adrian. quest. 1. de matrimonio §. ad rationes, verus, ad secundum principale, Couarr. 2. parte epitomes 4. decretalium cap. 1. §. unico, num. 8. qui plures citat, Valquez tomo 2. in 3. partem disp. 129. cap. 1. num. 11. & tomo 4. disp. 3. de matrimonio cap. 5.

Dico 1. tertia sententia non assignat sufficientem rationem materiae, & formae in hoc Sacramento. quia iuxta illam non potest assignari quid sit materia, quid verò forma, quando consensus omnino simul praestatur, quod fieri potest, quando matrimonium initur per copulam carnalem ex affectu maritali: materia verò, & forma ita sunt assignanda in Sacramento, ut quodcumque Sacramentum inuenitur, ibi sit inuenire materiam & formam.

Dico 2. duæ postremae sententiae sunt probabiles, iuxta quas assignatur materia, & forma sensibilis, assignatur etiam materia certa, & certa forma, quæ quolibet euentu possit inueniri, 3. huiusmodi materia, & forma assignatur conformiter naturae contractus.

Probat verò peculiariter quinta sententia, matrimonium esse eleuatum ad esse Sacramenti iuxta naturam contractus, ergo conuenienter dici potest formam huius Sacramenti esse consensum externis declaratum, materiam verò esse ipsa corpora contrahentium, cum in contractu id, de quo conuenitur, sit & dicatur materia contractus, & ipse contractus sit aliquid, per modum formae se habens, consistens in consensu reciproco in idem sub obligatione conuenientium: unde in presenti conuenienter dici potest consensus esse formam

Sacramenti; corpora verò, quæ per contractum traduntur, esse materiam.

79.

Dices, quando quaeritur materia huius Sacramenti, intelligitur materia ex qua, & intrinsecè constituitur Sacramentum; corpora verò contrahentium solum sunt, & dicuntur materia circa quam versatur contractus, atque ita extrinseca contractui, & proinde Sacramento quod in contractu inuenitur.

Obiectio.

Resp. corpora esse quidem extrinseca contractui præcisè, & nudè secundum substantiam spectato; posse tamen conuenienter dici materiam ex qua ipsius Sacramenti, quia Christus non eleuauit ipsum actum ad esse Sacramenti spectatum in abstracto, sed spectatum cum suo termino, ergo videtur constituisse, ut id, quod se habet per modum obiecti, & materiae circa quam versatur ipse contractus, pertineat intrinsecè ad rationem Sacramenti; cum autem non possit dici pertinere per modum formae, pertinebit per modum materiae.

Resp.

Ut verò etiam quarta sententia probetur,

Notandum quòd licet contractus sit quædam forma, si comparatur cum materia circa quam versatur, in ipso tamen contractu possit inueniri aliquid se habens per modum materiae, & aliquid per modum formae.

Nam quando duo conueniunt in eandem rem, inuenitur oblatio, & traditio eiusdem rei, item acceptatio oblationis, vel traditionis, ita ut morali hominum iudicio acceptatio censetur afficere & determinare oblationem, & traditionem: & quia in contractibus onerosis oritur obligatio ex parte vtriusque, consensus in singulis debet sortiri rationem oblationis, vel traditionis, & acceptationis, diuersa ratione.

Est traditio vel oblatio, quatenus is, qui illum præbet, offert aliquid alteri, vel tradit, & quatenus est motus ab ipso in alterum: est verò acceptatio, quatenus censetur traditioni alterius &c. aduenire.

Ex quibus probatur quarta sententia: in contractu matrimoniali inuenitur traditio proprii corporis, quæ fit alteri in ordine ad generationem, & similiter inuenitur acceptatio, quorum vnum optimè dici potest habere rationem materiae, alterum rationem formae, & quidem eò commodius, quòd in hac sententiâ materia, & forma Sacramenti sint intrinseca contractui.

Prob. quarta sent.

80.

Dices, iuxta hanc sententiam in idem incidunt materia, & forma, quod tamen est alienum à Sacramento.

Obiectio.

Resp. ita dicendum, quia Sacramentum hoc id habet peculiare quòd sit contractus, in quo consensus externis declaratus dici potest materia, ut subit rationem traditionis, & potest dici forma, ut subit rationem acceptationis.

Resp.

Contra 1. iuxta illam sententiam dicendum est formam partialem interdum præcedere materiam, cum scilicet vnius consensus præcedit consensum alterius.

Replica 1.

Respondeo non esse inconueniens, quòd præcedat tempore; semper enim in ratione acceptationis censetur natura subsequi traditionem, & illam respicit tanquam aliquid adueniens. simile quid videmus in formâ baptismi, quæ licet prius finiatur, quàm fiat ablutio, illam respicit, & ubi posita est ablutio, censetur eam informare.

Resp.

Contra

Replica al-
tera.

Contra 2. est, quod traditio in matrimonio sit conditionata, si videlicet vicissim tradas, & per consequens ipsa inuoluat acceptationem, & ita forma inuoluatur in materiā.

Resp.

Resp. inuolui quidem reipsā in consensu matrimoniali qui est traditio, tamen secundum rationem traditionis non dicere acceptationem, & proinde secundum eam rationem posse constitui materiam, formam verò secundum id, quod est acceptatio.

81.

Ex dictis iuxta quintam sententiam sequitur, quod corpora contrahentium concurrant ad collationem gratiae sanctificantis, tanquam pars materialis Sacramenti.

Aduerte corpora, quae dicuntur materia huius Sacramenti, vel saltem materia circa quam, non esse sumenda tanquam quid inanimatum, cum ipsae personae sint, quae obligant se ad reddendum debitum: ergo ipsae sunt id de quo initur contractus in ordine ad debitum coniugale, & quae sibi inuicem obligantur ad vitam socialem. communiter tamen corpora dicuntur esse materia circa quam, quia corpus potissimum deferunt actui coniugali.

82.

Corollar. 1.

Ex quartā, & quintā sententiā sequitur dari duplicem materiam partialem, & duplicem formam partialem huius Sacramenti, non eo sensu, quod ex materiā partiali, & formā partiali exurgat Sacramentum saltem imperfectum, quemadmodum variorum sententiā ex singulis vñtionibus, cum suis formis exurgunt partialia Sacramenta, quae simul sumpta conflant totale, & quemadmodum ex consecratione panis exurgit Sacramentum etiam non accedente consecratione vini; sed quod ad rationem huius Sacramenti sit necesse interuenire traditionem, & acceptationem singulorum, ita ut si vnus solus vel tradat, vel acceptet alterius traditionem, non sit futurum etiam partiale Sacramentum.

83.

Coroll. 2.

Ex omnibus sententijs, & communi iudicio sequitur consensum ita requiri ad essentiam Sacramenti matrimonij, ut absque eo Sacramentum consistere nequeat, cum essentialiter consistat in contractu.

84.

Petitio.

Petes, num status ipse, & vinculum maritalis absque tali consensu possit suscipi? Extra controversiam est hoc vinculum non posse humanā potestate induci citra consensum eorum, qui coniunguntur, cum humana potestas non videatur sese eo usque extendere ut possit aliquem obligare ad perpetuam vitam cum alio consuetudinem in ordine ad generationem sine eiusdem consensu.

Controversia ergo est de potestate diuinā, num scilicet Deus possit aliquos indissolubiler vinculo coniugali copulare, nullo interueniente eorum consensu. negat Sanchez libr. citato disp. 26. nu. 5. sed probabilius plures asserunt.

Resp. Sanchez negat.

85.

Auctor affirm.

Probat, Deus tanquam supremus omnium Dominus potest viro tradere dominium corporis feminae in ordine ad generationem, & e contra tradere feminae dominium corporis viri, & in illis inducere summam & perfectam obligationem absque eorum consensu: sed nisi sit quaestio de nomine, illi statui nihil deerit ad statum coniugalem seu matrimoniale, ergo.

Confirm. status matrimonialis solum respicit consensus partium & contractum earundem per modum causae effectiuae extrinsecae, quam causam Deus supplere potest, nec potest adferri solida ra-

tio, cur Deus non possit inducere in aliquibus obligationem, quam proprijs actibus sibi possunt imponere.

Dices, obligatio orta ex voto illud solum extrinsecè respicit tanquam causam effectiua moralem, nec tamen potest suppleri per Deum, seu Deus non potest efficere, ut vinculum voti sit in aliquo, nisi is vouerit, ergo.

Respondeo negando consequentiam, quia obligatio voti est obligatio promissionis & proinde dicit essentialiter ordinem ad promissionem, & per consequens nulli potest inesse, nisi promiserit, ut patet ex terminis: obligatio verò vinculi coniugalis non dicit similem ordinem ad contractum: quia si concipiamus mare, & feminam sibi inuicem obligatos praeterim firmiter in ordine ad generationem, inueniemus vinculum maritalis, poteruntque dici maritus, & vxor, & eorum status nullam aliam rationem participabit, quam matrimonialis.

Nec argumenta allata à Sanchez vrgent, quia aliqua solum probant matrimonium sumptum pro contractu non posse iniri sine consensu, de quo varij auctores sunt intelligendi, cum dicunt consensum esse de essentia matrimonij: loquuntur enim de matrimonio in fieri, non verò in facto esse, seu de vinculo permanente.

Alia verò assumunt, quod est probandum, scilicet vinculum matrimoniale esse relationem, cuius fundamentum sit contractus matrimonialis, seu consensus.

D V B I V M V I I I.

Quenam signa requirantur pro forma huius Sacramenti?

C O N S T A T pro matrimonio, ut est quidam contractus civilis, sufficere quauis signa sufficienter expressiua consensus maritalis, siue ea sint verba proprie dicta, siue nutus, siue aliae actiones, siue etiam taciturnitas, cum illis omnibus modis ex rei naturā contractus inter homines iniri possint, & in hoc contractu nihil peculiare inuenitur, propter quod repugnet eius conditioni omnibus illis modis iniri.

Constat matrimonium inter omnes contractum nutibus, vel alijs signis omnium iudicio est validum.

Quaestio ergo est de formā matrimonij, quatenus sortitur rationem Sacramenti in qua omittā eā sententiā, quae constituit sacerdotem ministrum huius Sacramenti, cuius verba proprie dicta requiruntur pro forma Sacramenti:

Alij requirunt verba, quod videtur sentire S. Tho. in 4. dist. 1. quaest. 1. art. 3. ad 5. dist. 26. qu. 2. art. 1. ad 1. dist. 28. quaest. 1. art. 3. sentitque Estius dist. 26. §. 11. retentā communioni sententiā de ministro.

Verum communior sententiā docet sufficere quaelibet signa sufficienter expressiua consensus, quae est omnino verior.

Probat 1. ex Florent. decreto de Sacramentis §. septimum, dicente: Causa efficiens matrimonij regulariter est mutus consensus per verba de praesenti expressus, quo loco addens, regulariter, manifestè declarat

declarat matrimonium, de quo agit, posse per alia signa legitime iniri: agitur vero de matrimonio etiam in ratione Sacramenti spectato, ut ostendimus dub. 6.

2. Ex alterâ sententiâ sequitur mutos non posse recipere Sacramentum matrimonij, quod videtur inauditum in Ecclesiâ, nec satisfaciens, qui dicit, quando uterque est mutus, non facile conuenturos ad matrimonium inuendum, quia saltem conuenire possunt. 2. constat inter Christianos matrimonia posse iniri alterâ saltem comparte existente mutâ, quo etiam casu deberet dici non esse Sacramentum, quod tamen non videtur dicendum, praesertim si ineanur iuxta Ecclesiæ morem.

Id verò dicendum patet ex eo quòd communi sententiâ formâ huius Sacramenti debeat poni per vtrumque contrahentem: si ergo consistat in verbis, illa debent proferri ab utroque contrahente.

3. Christus contractum matrimoniale euexit ad esse Sacramenti iuxta illius conditionem, nihilque requisivit ad rationem Sacramenti, quòd non requireretur ad rationem legitimi contractus matrimonialis; ex dictis autem, & ex communi iudicio constat matrimoniale contractum posse legitime iniri aliis signis, quàm verbis.

Ex quibus patet Sacramentum matrimonij validè recipi, si contractus perficiatur quibus, item scripturâ, immò & taciturnitate, quibus circumstantiis prudenti iudicio ea potest censerî consensus expressus.

Quòd addo, quia si in aliquo casu non censeatur talis, non tantum in foro conscientiae, sed etiam in foro externo Ecclesiæ iudicandum est non esse matrimonium; ut si praesente puellâ aliqui tractent de eius matrimonio, qui nec sint parentes puellâ, nec eius curam gerant, taciturnitas puellâ nec est, nec potest praesumi signum expressum consensus matrimonialis, sed potius dissensus, vel saltem carentia consensus.

Neque enim puella potest censerî suâ taciturnitate probare, ea quæ agunt alij, qui illius curam non habent. quòd si parentibus puellâ tractantibus in eius praesentiâ de matrimonio, & eiusdem nomine in aliquem consentientibus ea taceat, interdum potest censerî consentire: ut si non sit nimia inaequalitas, si parentes non sint illi nimium auctori. si enim esset aperta inaequalitas, taciturnitas potius esset signum dissensus, similiter si ex graui metu reuerentiali non audeat contradicere, praeterquam quòd eo casu matrimonium non subsisteret, etiam si posset praesumi consensus, quia esset graui metu praestitus, de quo infra.

Aduerte dictis non repugnare, quòd constitui posset per Ecclesiâ, ut matrimonium non posset aliter iniri, quàm per verba; quia non ideo dicerentur formæ huius Sacramenti, quòd Sacramentum ea determinatè requiratur ex sua institutione, sed quòd per constitutionem Ecclesiasticam non posset aliter legitimus consensus praestari.

Porro, ut etiam supra dictum est, Ecclesiâ posset praescribere, ut consensus matrimonialis non censeretur legitimus, nisi verbis expressus: cum Sacramentum fundetur in contractu civili, qui subest publicæ potestati, quæ certos ritus po-

test praescribere, sine quibus non possit consensus censerî legitimus.

Ex quo sequitur quòd Ecclesiâ possit mediatè, & indirectè efficere, ut sola verba sint legitima forma huius Sacramenti.

Contra resolutionem obiicitur 1. Florent. decreto citato docet Sacramenta verbis perfici.

Resp. doctrinam, quæ videbatur generaliter accipienda, restrinxisse cum ageret de hoc Sacramento. vbi

Notandum quòd quia in omnibus aliis Sacramentis requiruntur verba propriè dicta, Concilium prudenter initio decreti non posuerit, regulariter, ne alicui daretur occasio suspicandi alia Sacramenta quibusdam casibus validè conferri sine verbis, v. g. quòd sacerdos in necessitate posset per epistolam absolvere, &c. quia tamen id est connaturale contractui matrimonij, in quo ratio Sacramenti fundatur, ut non solis verbis sed etiam aliis signis possit validè iniri, quando Concilium peculiariter egit de Sacramento matrimonij, hanc particulam adiecit, quâ adiectione in hoc solo Sacramento posita declarauit racitè suam doctrinam in aliis Sacramentis generaliter intelligendam & in hoc Sacramento communiter, prout reipsâ videmus communiùs intercedere verba propriè dicta ipsorum coniugum.

Obiicitur 2. iuxta dicta copula carnalis posset esse forma huius Sacramenti, atque adeò gratiam ex opere operato conferre, quòd videtur contra canonem *conubia*, 32. quaest. 2. desumptum ex Hieron.

Resp. concedendo assumptum, & dico id nullo modo repugnare Hieronymo: is enim solum negat praesentiam Spiritus S. (scilicet concessam per gratiam ex opere operato) quo tempore actus coniugalis exercetur post initum matrimonium: non verò agit de eâ, quâ matrimonialis contractus initur, quæ, seposito peccato, quòd potest intervenire, quatenus matrimonium clandestinum contrahitur contra Ecclesiæ prohibitionem, potest, per se loquendo, per modum formæ sacramentalis concurrere ad collationem gratiae.

Contra August. docet Sacramenta nouæ legis esse castissima.

Resp. hunc loquendi modum potissimum aptandum aliis Sacramentis, quæ ita sunt à Christo instituta, ut secundum id, in quo ratio eorum inuenitur, non praesuerint: non verò huic, quòd est annexum contractui civili iam ante in officium naturæ solito celebrari; quanquam si hoc decenter celebratur, castissimum sit, cum non requiratur celebrari per copulam carnalem, immò minùs decenter per illam ineanur.

Obiicitur 3. quòd formæ Sacramentorum sint verba mystica, & arcana iuxta S. Dionysium, Innocentium 1. & alios.

Resp. ita esse communiter loquendo in hoc tamen contractu rem aliter se habere propter rationes aliquoties dictas. certè si attentè dicta Patrum considerentur, aduertetur eos nunquam de hoc Sacramento agere, quando hoc modo loquuntur.

93.

Coroll.

94.

Obiectio 1.

Resp.

95.

Obiectio 2.

Can. conubia.

Resp.

August.

96.

Obiectio 3.

Resp.

D V B I V M IX.

Utrum matrimonium per procuratorem initum inter fideles sit Sacramentum?

27.

MATRIMONIUM hoc modo validè iniri est indubitatum, tum ex communi praxi principum Christianorum, tum ex cap. ult. de procuratoribus, in 6. ubi id apertè supponitur. hoc præmissis, de præsentis quaestione inter Doctores est controuersia.

Prior sent.
Can.
Caiet.
Victor.

Nam Canus lib. 8. de locis theologicis cap. 5. §. ostendam ergo, censet tale matrimonium non esse Sacramentum, quod ante docuerat Caiet. tomo 1. opusculo 12. quaest. de matrimonio. Vict. numero 244. & alij.

Sent. post.
rior.
Sor.
Ledesma.
Bellarm.
Sanchez.

Secunda verò sententia, quæ est communior Theologorum, tenet esse Sacramentum. quam amplectitur, Sotus dist. 27. q. 1. art. 3. §. at verò, Petrus Ledesma quaest. 42. de matrimonio art. 1. dub. 7. conclus. 2. Bell. lib. 1. de matrimonio cap. 5. responsione ad vndecimum argumentum; Sanchez disp. 11. q. 4. num. 27. qui plurimos citat.

98.
Posterior
præferitur.

Hæc sententia est verior. Probat ratione aliquoties in superioribus allatâ, quod scilicet Christus Dominus euehens ad esse Sacramenti civilem contractum matrimoniale nihil aliud requisierit, ut esset Sacramentum in baptizatis, quam id, quod exigitur ad legitimum contractum matrimoniale, & omnis proinde legitimus contractus matrimonialis inter baptizatos est Sacramentum: constat autem matrimonialem contractum initum per procuratorem esse legitimum.

99.

2. In tali contractu inueniuntur omnia, quæ Flor. censet sufficere ad matrimonium, quod utique iuxta Concilium est Sacramentum.

Obiectio 1.

Obiicitur 1. quod nullum Sacramentum ministratur absenti.

Resp.

Resp. id dicitur in cæteris, partim quod ex naturâ alicuius Sacramenti in particulari colligatur, quæ physicam applicationem materiæ ad subiectum recipiens Sacramentum requirit, partim ex sensu Ecclesiæ, & communi Doctorum sententiâ: hæc autem potius colligitur contrarium, tum ex naturâ contractus, tum ex sensu Doctorum, & praxi Christianorum.

100.

Obiectio 2.

Obiicitur 2. in tali contractu non potest inueniri minister Sacramenti.

Resp.

Resp. neg. is enim est minister, cuius nomine contractus initur, qui censetur signis per procuratorem expressis suum consensum declarare, & contractus illi tanquam mandanti, & principali tribuitur: quia procurator non agit suas partes, sed partes eius, a quo mittitur, cuius nomine profert verba consensus expressiua.

Contra, inde sequeretur aliquem dormientem posse dici ministrum Sacramenti, & Sacramentum ministrare.

Resp. id sequi, neque esse absurdum in Sacramento, quod consistit in contractu: talis enim minister censetur permanere in virtuali intentione, & ex ea operari, quando procurator operatur iuxta eius mandatum non retractatum.

101.

Obiectio 3.

Obiicitur 3. in eo casu aliquis dormiens posset gratiam ex opere operato recipere.

Resp.

Resp. id nullum continere absurdum, cum etiam in baptismo, Sacramento penitentiae, extremâ

unctione id dici possit: cum hæc Sacramenta validè possint conferri dormienti, qui in vigiliâ ea desiderauit.

Aduerte 1. eum, qui per procuratorem contrahit, consultò facturum, si quo tempore exultat probabiliter procuratorem suo nomine contrahitur, se ad gratiam disponat: alioquin enim peccabit Sacramentum in peccato recipiens; procurator tamè existens in peccato, dum contrahit, non contrahit nouam culpam, quia non recipit Sacramentum.

Aduerte 2. contractum iniri, quando procurator nomine mandantis tradit dominium corporis illius alteri, & vicissim nomine eius acceptat dominium corporis alterius, idque etiam antequam mandans resciat.

Porro cum procurator agat tanquam morale instrumentum, cuius industria requiritur, ex modo quo se debet gerere, facile patet quod debeat cognoscere consensum partium, quem nomine mandantis debet acceptare.

Notandum circa procuratorem ex cap. ult. de procuratoribus citato, ut quis nomine alterius matrimonium validè contrahat tres conditiones requiri.

Prima est, ut habeat speciale mandatum contrahendi matrimonium, & quidem ita speciale, ut sit mandatum contrahendi cum certâ, ut tradit Glossa in cap. citatum, verbo *speciale*, communiter recepta. vnde ut matrimonium per procuratorem contractum sit validum, non sufficit dari illi mandatum contrahendi cum aliquâ indeterminatè, quod est conforme L. Generali, 34. ff. de ritu nuptiarum: sufficeret tamen personam particularem per litteras, vel aliter extra mandatum exprimi, ut post Angelum tradit Sanchez disp. 11. citata, quaest. 1. num. 4. Ita etiam requiritur speciale mandatum ad matrimonium contrahendum, ut non sufficiat mandatum generale & per clausulam generalem expressis quibusdam exigentibus speciale mandatum, nam quamuis iuxta capitulum, *quis ad agendum*, titulo citato, in 6. quando in mandato exprimuntur casus, qui requirunt speciale mandatum, adiectâ clausulâ generali mandatum extendatur ad non expressos exigentes etiam speciale mandatum: id tamen intelligitur de similibus, non verò de longè grauioribus, ut patet ex Clementinâ, *non potest*, de procuratoribus: causa verò matrimonij est grauior, & ita tenent varij, quos citat & sequitur Sanchez supra num. 3.

Secunda est, ut per se contrahat: nisi enim habuerit speciale mandatum aliquem sibi hac in parte substituendi, substituere non potest: cuius ratio insinuat cap. citato, quia alias in facto tam arduo magna pericula sequi possent, & propterea nisi aliud exprimatur, determinatè eligitur personæ industria.

Tertia est, ut mandatum intermedio tempore non reuocetur. si enim reuocetur, quantumvis procurator vel pars id ignoret, non valet matrimonium: quia deest consensus eius, cuius nomine initur contractus, qui consensus ita requiritur, ut illâ potestate humanâ suppleri possit, immò ad efficacem reuocationem non requiritur vllum signum externum: quia etiam posito solo dissensu interiore deest consensus necessarius ad contractum matrimonij.

Confit. procurator est instrumentum morale ipsius mandantis, quod proinde perpetuò persistet à morali eiusdem influxu virtute saltem permanente, qui influxus non potest censeri virtute remanere, quando interruptur per dissensum, neque

106.

neque is, qui dissentit, potest censeri moraliter humano modo per alium operari.

Difficultas.

Difficultas est, utrum si is, qui reuocauit consensum, illum renouet nihil indicando procuratori, qui erat ignarus reuocationis, subsistat matrimonium per procuratorem initum.

Resp. neg.

contra Sacra.

Resp. non subsistere, quia mandatum per reuocationem est interruptum, quod per subsequentem renouationem non renouatur. quod ostendo, procurator agit omnia virtute prioris mandati: perinde enim agit, ac si post illud sibi datum nulla variatio in principali intercessisset, unde patet eum non operari ex virtute alicuius impulsus subsequentis.

Confr. 1. morale instrumentum debet aduerte impetum, qui à causâ principali ei imprimitur; procurator autem nullo modo nouit secundum consensum, ergo non potest dici agere in virtute illius, sed in virtute prioris, qui, ut supponitur, desijt.

Confr. 2. vt aliquis possit alteri mandare, debet esse in potestate illius eum mouere, vel non mouere; non est autem in potestate eius, qui reuocauit consensum, mouere procuratorem per secundum consensum, qui vt supponitur, ad illum non peruenit: quandoquidem siue ille ponatur, siue non, omnia eodem modo peraguntur à procuratore, & proinde talis renouatio consensum non censetur moraliter procuratorem mouere. unde cum vis indita per prius mandatum esset, & actus, in quantum ex illâ pendebat, sit nullus, non reddetur validus per renouationem consensum, ex quâ procurator, seu mandatarius nullo modo mouetur. est contra Sanchez supra num. 13. contra quem ex rationibus factis constat, quod si quis fingebat consensum cum mandatum daret, matrimonium per procuratorem contractum, non sit futurum validum, quamuis præstet verum consensum, quo tempore initur matrimonium, quia procurator non mouetur à presenti consensu, nec censetur alterius instrumentum, prout is præstet verum consensum, sed prout antea fidei mandauit.

107.

Aduerte 1. consensum non posse hoc modo sine graui peccato reuocari propter præiudicium tertij, & si desit iusta causâ, mandantem teneri rata habere acta à suo procuratore, & quantum opus est, matrimonium renouare. sufficit verò, vt ipse renouet, nec opus est indicare compartem, quæ in suo antiquo consensu censetur permanere, nec etiam est opus, vt consensum huiusmodi renouetur in præsentia parochi, & testium etiam ijs locis, quibus Trident. est receptum.

Quod si re integrâ & contractu nondum peracto reuocetur consensum, & sufficenter significetur procuratori ex parte mandantis, per se loquendo, neque peccat mandans, neque tenetur ratum habere matrimonium contractum per procuratorem contra huiusmodi reuocationem. reuocatur autem non tantum directè, & expressè, sed etiam indirectè, & virtualiter, vt si procuratori, cui mandatum erat contrahere cum Maria, mandetur, vt contrahat cum Ioannâ, prius mandatum censetur reuocari.

108.

Aduerte etiam nullius esse momenti actum procuratoris, si excedat limites mandati, vt si habeat in mandatis, vt contrahat certâ dote constitutâ, & absque illâ contrahat.

Idem iudicium sit de alijs conditionibus, quas mandans apponit, & sine quibus non censetur

velle suo nomine contractum iniri.

Aduerte 3. ad hoc, vt matrimonium initum per procuratorem sit validum etiam ijs locis, quibus Trid. est receptum, non requiri, vt procurator accipiat mandatum coram parochio, & duobus testibus, quia dispositio Cõcilij cap. 1. de reformatione matrimonij sess. 24. solum respicit ipsum matrimonij contractum, non autem actum, quo aliquis constituitur procurator in ordine ad matrimonium.

Aduerte 4. procuratorem non necessariò esse eiusdem sexus cum mandante, vt censent varij. unde vir potest constitui procurator mulieris, & mulier viri, potest etiam aliquis esse procurator in omni ætate, in quâ potest sufficienter humano modo alterius mandatum exequi.

D V B I V M X.

Utrum matrimonium per epistolam, vel nuntium possit iniri, & sit Sacramentum?

QUOD validè iniri potuerit ante Trident. non videtur dubitandum, dubitant tamen aliqui, num post Trident. sit validum, vbi Concilium receptum est, quia non apparet quomodo coram parochio scilicet eodem iniri possit, & coram iisdem testibus.

Sed plures qui post Trident. scripserunt, censent esse validum, Valent. disp. 10. quæst. 1. puncto 6. §. quare vt Solus, Henriquez lib. 11. cap. 2. num. 6. Sanchez disp. 12. num. 3. Rebellius lib. 2. quæst. 5. num. 12. & alij, idque est probabilius, quia qui prior mittit litteras, potest scribere se non solum tradere corpus suum alteri, sed etiam ex tunc acceptare traditionem alterius, quæ sibi fiet in præsentia parochi, & testium, quo casu epistolâ coram parochio & testibus lectâ, & aliâ parte coram iisdem acceptante eam traditionem, & vicissim tradente dominium corporis sui, perficitur matrimonium.

Quoad posterius Resp. tale matrimonium esse Sacramentum, tradunt authores citati. ratio est sæpe allata, quod talis contractus sit legitimus in ratione contractus ciuilibis, igitur sortitur rationem Sacramenti.

Hic eadem dici possunt, quæ de matrimonio per procuratorem inito, scilicet ipsos contrahentes esse ministros; item absentem, qui per epistolam declarat suum consensum, posse in altero gratiam causare, & in se recipere etiam quando dormit, quia manet virtute in consensu non retractato. neque in præsentia aliud requiritur ad Sacramenti administrationem, quam ad ipsum contractum legitimè inendum. dicendum etiam, quod si re integrâ reuocetur consensum, quantumuis id lateat compartem, & dissensus sit merè internus, matrimonium futurum nullum.

Notandum 1. quando matrimonium hoc modo initum, non requiri, vt litteras deferens, vel internuntius cognoscat, quid agatur, quia solum eligitur ad deferendam epistolam, vel ad verba nomine alterius nuntianda, quod totum potest præstare, quamuis, ignoret, quid in litteris continetur, vel ad quid verba dirigantur. & in hoc differt à procuratore, cuius industriâ eligitur ad contractum perficiendum, unde debet aduerte, quid agat, & quid vicissim agatur à compartem.

F f f f 2

Notan-

109.

Vir potest constitui procurator facinor.

rio.

Affirmant plures, valere, Valent. Henric. Sanchez. Rebell. His assentitur Auct.

111.

Etia est Sacramentum.

Matrimonio sic initum in varijs conuenit cum matrimonio per procuratorem inito.

112.

Differt tamen primò.

113.
Differt se-
cundò,

Notandum 2. alteram differentiam inueniri inter modum, quo initur contractus per procuratorem, & quo initur per epistolam: nam quando initur per procuratorem, communi usu matrimonium perficitur procuratore nomine alterius contrahente, etiam antequam actus procuratoris innotescat mandanti. quia mandans censetur traditionem alterius per illum acceptare: nam etiam ad hoc eligitur eius industria. quando verò initur per epistolam, vel internuntium, communiter requiritur, ut is, ad quem missa est epistola, vel directus nuntius, vicissim rescribat se acceptare traditionem scribentis, & se vicissim illi tradere corporis sui dominium; requiritur etiam, ut talis traditio innotescat ei, qui prior scripsit, & is acceptet. cum enim ad matrimonium requiratur acceptatio utriusque, quâ singuli acceptant traditionem corporis ab altero sibi factam, & prior communiter non censetur acceptare traditionem alterius, antequam sibi innotescat (ideo enim nulli commisit hanc acceptationem, ut ipsemet in personâ acceptet) requiritur, ut secundus rescribat, & litteras ad priorem dirigat, ut consensus secundi illi innotescat, eumque acceptet.

Cum verò in contractibus voluntates contrahentium debeant in vnum conuenire, & ad se inuicem dirigi, non sufficit, ut qui prior scripsit, casu fortuito intelligat alterum consensisse, & acceptasse suam traditionem, & vicissim tradidisse dominium corporis sui, neque sufficit per tertium eâ de re reddi certior, sed requiritur, ut litteræ ad eum ex parte alterius in eum finem dirigantur, cum sine tali directione voluntates non possint per se coniungi morali modo ad contrahendum. unde si amicus ei rescriberet compartem consensisse &c. matrimonium nondum esset perfectum, possetque adhuc rescire.

Quando autem hoc modo initur contractus, requiritur, ut epistola secundi legatur à primo, vel eius nomine coram parochò, & testibus, qui intelligant quid illi contineatur, & simul aduertant prioris acceptationem.

QVÆSTIO III.

De consensu ad matrimonium necessario.

CVM ex dictis superiori questione constet ad matrimonium requiri consensum, de quibusdam eius conditionibus dicendum.

Præmittendum verò, quod etiam ex dictis colligi potest, consensum utriusque partis necessarium ad matrimonium non ita debere esse simul, ut eodem tempore physice simul existat in actu, sed sufficere, si moraliter simul existat, cum natura contractus id permittat, & communi hominum iudicio constet in alijs contractibus consensum vnius posse physice præcedere consensum alterius, qui moraliter censetur permanere usque ad aduentum consensus compartis, nisi reuocetur formaliter vel virtute, expresse, vel implicite. vbi

2. Notandum cum is, qui prior præstat consensum, censetur eum conditionatè præstare, si videlicet alter vicissim consentiat, morali, & pru-

dentis iudicio eum non ceteri velle nimis diu suum consensum suspendi, sed ceteri reuocare, si post iustum temporis intervallum negligat alter vicissim consentire, quod & in alijs contractibus onerosis dicendum. quandonam vero censetur aliquis reuocare consensum propter lapsum temporis, videtur prudentis iudicio relinquendum, qui spectatis circumstantijs potest iudicare aliquem non amplius ceteri in antiquo consensu permanere.

Quia verò posterior absolute consentit, tamdiu censetur in consensu permanere, quamdiu non reuocat.

Ex quo sequitur quod si is, qui prior videbatur consensisse, hæc consenserat, possit matrimonium perficere serò consentiendo, nec sit opus, ut posterior nouum consensum præstet, quia ut dictum est, consensus ab eo præstis semper durat, nisi reuocetur, & ita duo consensus moraliter coniunguntur.

Ex dictis etiam constat, quod is qui prior præstiterit consensum, tamdiu possit eum reuocare, quamdiu illi per se vel suum internuntium non innotescit de alterius consensu.

Definit ergo consensus 1. si expresse reuocetur. 2. si quis abiectâ spe alicuius obtinendæ agat de alijs nuptijs. 3. si propter notabilem temporis intercapedinem, vel mutatum rerum statum homo planè obliuiscatur consensus præstiti. his præmissis

D V B I V M I.

Quodnam sit obiectum, in quod debeat ferri consensus necessarius ad matrimonium?

CVM matrimonium sit institutum ad conuenientem generis humani propagationem, ad quod ideoque postulet indissolubilitatem, seu, ut coniuges perpetuam vitæ consuetudinem retineant, postulet etiam fidem, per quam pars comparti ita adhæreat, ut eâ viuâ non possit alteri coniungi aliamue cognoscere, 3. postulet id, quod ad bonam proles educationem, si quæ forte sequatur, est necessarium; sequitur matrimonium postulare consensum, per quem absolute sub prædictis obligationibus traditur comparti dominium corporis, atque adeo omne pactum de conditionibus repugnantibus huiusmodi bonis matrimonijs repugnare validitati eiusdem, ut si quis velit matrimonium inire cum aliquâ cum pacto, quod post annum vinculum matrimonij dissoluetur, contractus matrimonij non subsistit propter appositam conditionem repugnantem indissolubilitati matrimonij: similiter si quis contrahat reueratâ potestate aliam carnaliter cognoscendi, contractus est irritus propter appositam conditionem repugnantem fidei matrimonij, idem sit iudicium, si in tali contractu inducatur obligatio comparti ad adulterandum. 3. si deducatur in pactum quod proles suscepta non educabitur, vel quod impedietur fœtus, contractus erit irritus, propter conditionem repugnantem bono prolis. Hæc & similes pactiones repugnantes bonis matrimonijs, quæ saltem implicite per matrimonium debent intendi, obstant eiusdem valori. videri potest cap. ult. de conditionibus appositis.

Notan-